PROV. DIOC.
162
B
6.
BIB.NAZ.NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
162
B
6
NAPOLI

CONSTITVTIONES

DIOECESANAE SYNODVS.

Celebratæ in Eccleſia Cathedrali
22. Maij 1680.

AB ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. DNO
D. F. VINCENTIO M. DE SILVA
Olim Polycaſtrenſi, nunc motu proprio
Sanctiſs. Domini Noſtri D. Innocentii PP. XI.
EPISCOPO CALVENSI.

ROMAE.
Typis Nicolai Angeli Tinaſſij.

SVPERIORVM PERMISSV.

CONSTITVTIONES

DIOECESANAE SYNODVS.

Celebratæ in Ecclesia Cathedrali 22. Maij 1680.

Vniuerso Clero, & Populo Caluensis Diœcesis.

F. VINCENTIVS EPISCOPVS Ecclesiasticæ Disciplinæ Zelum præcatur.

QVam vis nostri muneris partes satis perfeciſſe videbamur elapſo menſe Maij per celebratam Synodum, vbi, quæ pro veſtrarum Animarum ſalute, & decore domus Dei Paſtoralis Zelus nobis ſuppeditauerat, omni noſtra accuratione meditati plura ſalutaria monita, & fidelia documenta, vt commiſſum gregem inſtrueremus in ſcientia ſalutis, paterna benignitate iniunximus. At Charitas Chriſti, quæ ſemper vrget Nos, verborum ſola tranſitoria exortatione parum contenta, memor operum Dei, qui etſi multifariam, multiſque modis olim patribus in Prophetis loqutus, tandem in Carne dilecti Filij ſui, quam ſcripſerat in Horeb legem, impreſſam mittere voluit; vt magis qualem ſollicitudinem pro vobis habeamus cognoſceretis, quæcunque ſcripta erant, & prælo mandare ſategimus. Eo vel magis cum pluries tum deſiderijs, tum petitionibus, cupientes non tantum Auditores, ſed Factores legis eſſe, hoc ipſum ſummopere ambigebatis. Venite ergo filij, audite me, timorem Domini docebo vos; Vos populus meus, & oues paſcuæ meæ eſtis, ego Dux itineris veſtri, & Paſtor Animarum veſtrarum ſum. En ante oculos veſtros regula ſecundum, quam ambulare debetis, vt inter ancipites huius vitæ calles non declinetis, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram; En vox fidelis ſponſi veſtri, quæ ne promiſſam fidem ledere contingat inſidias hoſtis antiqui annunciat vobis. En ſaluberrima Paſcua, quibus ne venenatis errorum germinibus inferciatur mens veſtra

vesti turo licebit . Pastoris sunt hæc sincera consilia , tenerrimi Patris pyssima monita fidelis Ductoris benignissima studia . Effudit vbique suum virus serpens antiquus, corrupit vniuersas salutis vias humana iniquitas , Pascua salutaria , quę suis ouibus ostenderat Christus pestiferis errorum Zizanijs malignarunt , & aquas Sacramentorum ; quas ad estinguendam sordidam concupiscentiæ sitim donarat, peruersis ritibus conspurcarunt , imò vanis fabbellarum narrationibus pro fanauerunt Verbum Dei , & vocem , qua æternus Pastor vocat oues suas , adulterinis vanitatum cantilenis perdiderunt. Hinc etsi prana sensus via per Christum sit ducta in directum , & aspera spiritus sit leuigata in planam; nihilominus mortales decepti ambulant per vias difficiles vitiorum; dispergũtur per in via iniquitatis , diuertunt à rectis vestigiis Christi , & deluse inueniuntur capti in laqueis Diaboli. Quo fit vt magna Animarum turba præceps per latam viam mortis ruat in Baratrum , & Euangelica fides deplorabile patiatur detrimẽtum. Vbi est Christianæ pietatis sinceritas? vbi morum Sancta simplicitas? vbi virtutum pia emulatio ? vbi terrenarum cupiditatum repressio? contemnuntur spiritualia , & cæca libidine temporalia appetuntur . Nisi ergo custodes , quos super muros , ideſt super Corpus mistica Ierusalem Animæ Rationalis Supremus Rex posuit, nisi speculatores, quos dedit in Israel Cælestis Dominus, nisi Pastores , quibus gregem suum commendauit bonus Pastor , qui posuit Animam suam pro eis indigitent pericula , insinuent remedia exibeant auxilia, descendit proculdubio sangis Christi incorruptionem, & pars suæ hereditatis, quam in arcu suæ Crucis, & sagitta Charitatis acquisiuit , perit . Huic ergo lacrimabili Animarum verniciei , si quid nostra vigi-

lantia

tantia valet occurrere volentes. Elaboravimus secundum mensuram gratiæ, quæ data est nobis per has nostras Ordinationes, & salutares Constitutiones omnes Demonis laqueos vobis aperire, cautosque velut prudentes serpentes contra eius insidias, & corruptorum hominum fallacias reddere. Lustravimus cuncta, expendimus vniuersa, quo ad nostrum posse, quæ vel Christianam pietatem fouerent, vel charitatis opera impedirent, nihil neglexímus, nihil prætermisimus, quod salutem vestram maturare posset, reiecimus nociua, proposuimus salutaria, propalauimus fallacia, inculcauimus necessaria. Det ergo vobis qui hanc sollicitudinem nobis inspirauit idipsum in perfecta horum mandatorum obseruantia sapere, vt quod ipse per hanc nostram exortationem initiauit, per vestram humilem obedientiam tandem perficiat.

IN-

INDEX

Capitulorum, & Materiarum.

De Archipresbiteris, & Parochis. pag. 132.
Adulteris, & Concubinarijs. 33.
Blasphemis. 35.
Bonis Ecclesiasticis. 155.
Celebratione Missarum. 54.
Canonicis. 148.
Casibus reseruatis. 42.
Censuris. 43.
Concubinarijs. 33.
Confratrijs. 162.
Doctrina Christiana. 3.
Exorcismis. 40.
Exequijs, & Sepulturis. 96.
Fide. 1.
Horis Canonicis. 124.
Hospitalibus. 162.
Immunitate Ecclesiastica. 119.
Ieiunijs, & Quadragesima. 117.
Impedimentis ad ordines. 66.
Indulgentijs. 168.
Legatis pijs. 169
Montibus Pietatis. 162.
Magijs, & Incantationibus. 37.
Obseruantia dierum festorum. 105.

De

De Professione fidei. pag. 1.
Prædicatione. 7.
Processionibus. 153.
Parochis. 132.
Quadraginta horarum Expositione. 52.
Sepulturis. 96.
Sacramentis in Genere. 11.
Sacramento Baptismi. 14.
Confirmationis. 19.
Eucharistiæ. 45.
Extremæ Vnctionis. 89.
Matrimonij. 74.
Ordinis. 64.
Pœnitentiæ. 21.
Synodo Diœcesana. 170.
Sacristis. 144.
Veneratione Ecclesijs exibenda. 111.
Vita, & Honestate Clericorum. 138.
Vsurarijs. 31.
Visitatione. 151.

E. S. C
C. S. E

In nomine Sanctissimæ, & Indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

SESSIO PRIMA.

De Fide Orthodoxa.

CAP. I.

Mantissimus Dominus fidem per Proph. Os. cap. 2. extollens sic animam fidelem alloquitur. *Et sponsabo te mihi in fide, & scies, quia ego Dominus.* Hinc fit quod vt commissi nobis gregis animas cœlesti Sponso spirituali connubio desponsando conjugamus, de Fide propaganda primum, maximumque nostrum opus, laborque sit. Benè etenim fundata domus erit si supra Petram, hoc est supra fidem constructa fuerit. Eapropter vt omnis Christianæ militiæ athleta nequissimâ callidi hostis tela confringere, & expugnare queat, cinctorio Fidei præmuniri, & circuncingi necesse est. Neuè à communi, probataque Sanctæ Matris Ecclesiæ aliqualiter, quod absit, differendo recedamus, eius formulam tenendam esse decernimus, vt sequitur, v3.

Ego N.N. &c.

Qui verò, & infrà quod tempus sub præscripta

formula suæ Fidei Orthodoxæ publicam Profes-sionem facere debeant, in Sac. Concil. Trident. sess. 24. cap. 12. de reform. nec non ill Constitutionibus felicis recordationis Pij IV. quæ incipit, *Iniunctum*, abundè explicatum est. Vtque nemini ignorantiæ detur locus, eos sigillatim hic nominari volumus. Quicunque igitur Beneficium quodcunque assequutus fuerit; in manibus nostris, vel nobis impeditis, coram generali nostro Vicario ad minus infrà duos menses à die possessionis, professionem huiusmodi publicam facere tenetur: Si verò, qui Dignitates, & Canonicatus in Cathedrali Ecclesia obtinuerint; illam non solum coram Nobis, vel generali nostro Vicario, sed etiam in Capitulo infrà idem tempus facere coguntur; aliter in fructuum amissionem, incurrisse, illisque possessionem non suffragari animaduertant.

Doctores insuper etiam Physici, Concionatores, Ludi Magistri, alijque qui de Iure tenentur, quique eorum scientiam, & professionem in nostra Diœcesi exercere, vel docere cupiunt; eandem publicam fidei Professionem coram Nobis, vel nostro generali Vicario sub eadem formula præstare, & emittere teneantur: sin secus pœnis arbitrio nostro infligendis vnusquisque plectetur.

Vt autem præmissa seruentur, quilibet Parochos, nomina, & cognomina eorum qui in sua Parochia huiusmodi munia exercent, in quolibet anni exordio denunciare teneatur nostræ Curiæ Cancellario, qui ex regiſtro in quo singulariter huiusmodi professionis actus erit annotaturus, transgressores, si qui fuerint, ad finem puniendi recognoscat.

De Doctrina Christiana.

§. I.

POstquam de ijs, qui publicam Fidei professionem præstare tenentur breuiter disseruimus de Infantum, & imperitorum eruditione, prò viribus elaborandum est; Fides enim quæ ad animarum salutem est simpliciter necessaria, sine qua sub Christianæ militiæ verò Duce nullus vnquam erit triumphaturus, & vt Diuus ait Athanasius, quam nisi quisque integram, inuiolatamque seruauerit absque dubio in æternum perhibit, hæc inquam à Solis ortu, vsque ad occasum conseruanda est.

Parentum itaque præcipuè erunt partes, vt suos filios à teneris annis fidei tyrocinia, atque rudimenta, adeò erudiendo instruant, vt suaue fidei iugum ab infantia portantes etiam cum senuerint non recedant ab eo. Diebus igitur in qnibus locorum Parochi in eorum Ecclesijs Christianę fidei edocent rudimenta, ijdem Parentes suos filios, alioſque, quorum ipsi quomodolibet curam gerunt ad easdem Ecclesias erudiendos mittant, conducique curent. Sic enim facientes, & nostram in Terris, & Diuinam in Cęlis meritò condignam euadent vltionem.

Contingit sæpè pluribus in locis propter nimiam animiv ecordiam, etiam adultos quandoque huiusmodi rudimenta pęnitùs ignorare. Si igitur, quod absit, in nostræ Diœcesis locis huiusce modi rudes adultos reperiri contigerit; hi ad se erudiendos oc-

casione conducendi pueros ad easdem Ecclesias conuenire non erubescant; alioquin Parochus si adhibitis diligentijs quempiam in eadem ignauia pertinaciter perseuerantem agnouerit ad Sanctissimæ Communionis participationem non admittat, imò in eum seruius animaduertat ad nosque deferat.

Nouerint etiam Parochi, cæterique animarum curam quomodolibet sustinentes præcipuum eorum munus esse oues suas fidei pabulo omni studio pascere, atque educare; ne paruuli petant panem, & non sit qui frangat eis, singulis ideò Dominicis diebus sub pœna ducatorum vigintiquinque post prandium duos ex eorum Clericis, vel omnes, iuxtà loci consuetudinem per Parochiæ vias tintinnabuli signo pueros, ac puellas alta voce conuocantes circumire faciant, & illos reducant ad Ecclesiam, vbi per ipsum Parochum, vel eo legitimè impedito, per eius coadiutorem à nobis approbatum vnius horæ spatio, pròut puerorum numerositas exegerit, fidei rudimenta, cæteraque ad salutem perneccssaria, puerorum, ac puellarum capacitate pensata edoceantur.

Diebus verò Sanctissimæ Resurrectionis, Pentecostes, & Natiuitatis Domini (si hæc in Dominica occurrat) solemnitatum, ac functionum intuitu, ab huiusmodi exercitio abstineant, sed illud in sequentem festum transferant, & adimpleant.

Ad parentum aliorumque, quorum interest, segnitiem redarguendam, & erudiendorum notitiam, & absentiam, si contigerit, deprehendendam habeat Parochus librum, in quo suæ Parochiæ pueros, & puellas, nec non adultos, si quos ignaros compererit

rit sigillatim nominatos describat, vt ictu oculi absentes cognoscat; in posterum compellat, & inobedientium solertiam paterna reprehensione conuincat.

Meminerint insuper Parochi singulis saltim mensibus inter Missarum sollemnia Populum sibi commissum commonere eos, non solum ad suos filios, aliorumque infantium, & famulorum sub eorum cura degentium, eruditionem adstringi, sed etiam curaturos, vt gregum Custodes, prædiorum Cultores, cæteriq; omnes qui sub eorum Dominio extra Terram, & Oppidum subsunt, semel saltem in mense alternis vicibus ad Parocchiales Ecclesias conueniant, & accedant; vbi præceptum de audiendo Missam eo modo adimplentes, Parochorum eruditiones ad Animarum salutem potissimum necessaria quodammodo audiant, & edisscant, censurarumque incursum cauere prænoscant.

Nostræ Diœcesis singula ferè loca adeò perangusta esse conspeximus, vt Parochus omes nominatim conuocet quisque suas, habeant proindè singuli librum, in quo Villicorum nomina descripta retineant, vt eos quos per mensem Missæ Sacrificio non interernt, & præcepta nostra non adimpleuerint, cuiusque qualitate, & singulorum culpa pensata coerceat. Si verò non ex Villicorum segnitie, sed ex deprauata Dominorum prohibitione Parochi id euenire compererint; eosdem Dominos seuerius arguant, sique, quod absit non resipuerint ad nos deferre Parochi non negligant, vt huiusmodi prauitatem totis viribus eliminare non desinamus.

Ad faciliùs tamen, & celeriùs Christianæ fidei propagationem in singulorum animis inserendam

Ma-

Magistri Grammatices, siuè legere, & scribere docentes, singulis diebus idem in suis scholis præstent, & perficiant; Immò dum Fidei professionem fecerint ad huiusmodi eruditionem iuramento adstringantur, pròut etiam eosdem pueros, qui sub eorum disciplina existunt, singulis Dominicis ad Parochiales Ecclesias conuenire curent, & efficiant.

Certam tandem formulam à Parochis, dum eruditi seruandam minimè præscribimus. Diligenter tamen vulgari Idiomate Doctrinam Christianam Diui Athanasij Symbolo consonam Superiorum permissu typis çditam præ manibus habeant. Eruditiones audientium capacitati, & ætati componant, & aptent; Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Apostolorum Symbolum, Decalogi, & Ecclesiæ præcepta; Nouæ legis Sacramenta, Peccata læthalia: Trinitatis, & Incarnationis mysteria, aliaque ad salutem potissimum necessaria, & vtilia vnumquemque ediscere necesse est, prout in propositionibus in generali Congregatione S. Rom. & Vniuersalis Inquisitionis habita fer. 5. die 2. Martij 1679. coram Sanctissimo Domino Nostro D. Innocentio D. P. PP. XI. num. 64. ibi: *Absolutionis capax est homo, quantumuis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiam si per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium Sanctissimæ Trinitatis, et Incarnationis D. N. I. Christi.* Et num. 65. ibi. *Sufficit illa mysteria semèl credidisse* damnatis videre est. Ea propter Parochi, non solum post prandium, sed post Conuentualis Missę Offertorium, nec non inter Aurorę Missam recitare meminerint sub pœnis arbitrio nostro.

Quum

Quum igitur, Deo adiuuante, Orthodoxæ fidei frumentum in terram bonam, hoc est in Christi fidelium animis ita disseminatum fuerit, illud omninò infructuosum fore sciant, nisi bonorum operum perseuerantia excolatur, Iacobo Apostolo testante: *Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.* cap. 2.

De Verbi Dei Prædicatione.

§. II.

PRædicationes Euangelicæ munus non leue, imò grauissimum, atque difficillimum vno omnium ore conceditur, adeò vt Verbi Dei concionator vndequaque absolutus, vix vnus è millibus reperiatur. Non idem enim est ouium palatum, imò magna in pascendis illis varietas; quæ enim Palqua vnam nutriunt ouem, alteram quandoque, vel mactant, aut macerant; eàtenus hac temporum tempestate inueterata hominum deuenit malitia, vt non modo temporalia, sed Diuina, Verbum Dei, vt. Prò suisque affectibus ad sua desideria confouenda, potiùs quam eradicanda contorqueant. Sacras litteras, proh dolor, in Parabolam, & Prouerbium vertunt. Et ad excusandas excusationes in peccatis sũma vi, & calliditate adulterantur, & protrahunt.

Cum igitur nullus nisi missus Prædicationis munere publicè fungi debeat, Christo Domino de se ipso testante: *Spiritus Domini misit me, eo quod vnxit me ad euangezzandum pauperibus misit me*; Et Domini Præcursor, de quo scriptum est: *Ecce homo mis-* Isa. 6. Matt. 10

missus à Deo; nec Apostoli huiusmodi munus aggressi fuissent nisi ab eodem Christo Domino mandatum accepissent: *Ite ecce ego mitto vos*; Cumque per Tridentinum, & nouissimè per fel. record. Clem. 9. Const. vetitum sit; proindè nullus cuiuscunque Religionis professus, licet Apostolicæ Sedis priuilegio nitatur, absque nostra, vel Vicarij nostri in scriptis habenda licentia in Ecclesijs nostræ Diœcesis, prædicationis munus publicè exercere præsumat sub pœna Suspensionis; Qui verò Parochus, vel permiserit, aut Nobis significare neglexerit, ducatorum viginti pœnam erit illicò persoluturus. Ius enim mittendi, & in vnaquaque Diœcesis nostræ Parocchiali Concionatores destinandi, atque distribuendi; tum Ordinariæ, tum ex Consuetudine ad Nos, vel nostrum generale Vicarium spectare, atq; pertinere patescit.

Qui verò Verbi Dei euangelizzandi à nobis veniam obtinuerint, præter vitam exemplarem, spiritu feruentes sint, si etiam hic deerit, reliquis donis parum, siuè nihil erunt profecturi: *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*. Et quomodo ad æternarum rerum desideria alios accendet, qui ipse, totus languet, ac friget? Matt. 10

Multiformis itaq; gratiæ Dei dispensatores Verbum veritatis rectè, & bona fide tractantes, ea potissimum doceant quæ ad captum audientis populi vtilia, & accomodata esse cognouerint, cuiusmodi sunt Euangelij, & Simboli explanatio, cohortatio ad Pœnitentiam ad illius validitatem requisita, & mutantes speciem circunstantiæ; Misericordiam, Confidentiam, Iustitiam, & Rebellium, pœnas opportunè

portunè prædicando taliter extollant; vt dubitantes, ac frigidi spe, & diuino amore inflammentur, mali verò à peccatis deterriti resipiscant.

Ab Ecclesia, quæ veritatis columna est, instituto, sanorum verborum formam habebunt, ne vento doctrinarum ab Ecclesia non receptarum, veluti nubes sine aqua circumferantur, dicente Apostolo. *Tu loquere quæ decent sanam doctrinam, verbum sanum, & irreprehensibile.* ad Tit. 2.

Profana, & vaniloquia, hoc est futilem, & inanem loquacitatem, qua non nulli humanis ratiocinationibus falsam scientiæ opinionem sibi venantur, prorsus effugiant. Manifestas, & speciales reprehensiones præsertim veriusque potestatis, siuè Ecclesiasticæ, siuè secularis omninò vitare tenentur, Omnis enim potestas à Deo est, & propterea honoranda potiùs, quam incessanda; ait enim Apostolus: O Thimotee depositum serua deuitans profanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidem promittentes circà fidem exciderunt.

Eleemosinas, satisfactiones, & Pietatis opera, quibus Christianæ fidei paries liniendus est, acriter inculcent; fidemque sine operibus mortuam esse edoceant, ne Deus sicut de pseudo prophetis apud Ezecc. XIII. dicturus sit. Et complebo indignationem meam in pariete, & in his qui liniunt eum absque temperamento.

Non nullorum nostræ Diœcesis locorum adeò videtur angustia, vt in toto Quadragesimæ tempore, Concionatoris expensas singuli sustinere nequeant; accidit proinde, vt vnus tantum Concionator plurium locorum Oues, prædicationis,

Euangelicæ pabulo pascere compellatur; Is igitur, qui locorum huiusmodi erit curam susceptur us, discretionem, & prudentiam, sic maximam adhibeat, vt Dei gladio à dextris, & sinistris resecante, taliter virtutes serendo, & vitia amputando se exerceat, vt potiori studio singulorum saluti satis profeciſſe censeatur.

Neuè tantus labor deficientibus auditoribus frustrà teratur, & excipiatur ab auris; Campanæ signo, & sedulis monitionibus; vt quinis populus ad audiendum verbum Domini in vnum conueniant, diligenter per Parochum sat agendum erit. Siquè ex Clero aliquis non legitimè impeditus interesse renuerit, prò vice qualibet ducati vnius pœnam pijs vsibus erogandam volumus incurrat.

Dum Concio habetur non modo vociferationes, confabulationes siuè deambulationes in Ecclesijs interdicantur, sed ne quidem Missarum celebrationem, pauperum precarios quæstus, siuè Campanularum pulsus Parochi permittant. Mulieres insuper prædicationibus (quæ diurno tantum tempore, non autem ingruentibus, nec minus tenebris absoluantur) ab hominibus seiunctas adstare debere mandamus.

Omnibus postremò innotuit, eos qui in Sacrario operantur, quiæ de Sacrario sunt edere, & *Euan-*
1. Cor. 9. *gelium Euangelizzantes de Euangelio viuere*. Communitatum nostrarum carissimos filios, & earum administratores in Domino hortamur, atq; monemus, vt humanitate qua valuerint maxima, ministeriorum Dei hosce dispensatores recipiant, & eleemosinam elargiendam, vel prò viribus augeant,

vel

vel saltim consuetam vniuscuiusq; non imminuant. Quis enim tam Sordidus est, qui non æquum putet modicum quid caduci, ac temporalis, subministrare illi, à quo spiritualia, ac æterna vicissim recipit.

Præter Aduentus, & Quadragesimæ tempora, qua diligentia Verbum Dei assiduè per Parochos disseminandum erit in tract. de Parochis infrà erimus explicaturi.

De Sacramentis in Genere.

CAP. II.

QVemadmodum (vt Augustinus ait) Quando magnus per totum mundum iacebat ægrotus totum scilicet genus humanum; Ita Psalmista cecinit misit Verbum suum, & sanauit eos: quod Diuus Antoninus explicans: Missus iste Sapientissimus Medicus septem potissima instituit medicamenta, nempè septem nouæ legis Sacramenta. Quantum est in Medico sanare venit ægrotum; sed ipse se interimit, qui præcepta Medici seruare non vult.

Quiuis igitur huiusmodi salubria medicamenta tractaturus, siuè susceperus, illa non terrena, sed spiritualia esse meminerit: quali proinde reuerentia, & cordis puritate tractanda, & suscipienda sint in Sac. Con. Trid., & Sac. Can. satis explicatum est. Nos tamen de Sacramentis in specie tractaturi, tunc in vnoquoque ipsorum nonnulla pariter promulgabimus. Hic verò quæ sequuntur generalia

lia monita breuiter enunciamus.

Parochis idcircò, alijsq; curam animarum habentibus strictè præcipiendo mandamus; vt quantum fieri poterit, Sacramentorum omnium excellentiam, & effectum, & qualiter ad illorum gratiam consequendam quisque disponi debeat, populum suum commonendo edoceat; prout in §. de Doct. Christiana nuper etiam explicuimus.

Eorum pariter munus erit, vt in illis conseruandis, seù administrandis omnem diligentiam, atq; prudentiam sedulò impendant. Sacrariorum, siuè Sacrorum loculorum, in quibus Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, siuè Sacra seruantur Olea nemini credant claues, sed semper apud se retineant.

In administratione illorum à Rit. Rom. ritu B. Pij V. auctoritate emanatum nullatenus se abstrahant, sed illud adamussim seruent. Formas Sacramentorum ediscant, memorieq; retineant, quas pariter Sacerdotes omnes percallere necessarium est; vt in repentinis casibus quibusque promptam medelam valeant adhibere. Si etenim, dum in visitatione examinabuntur quempiam Sacerdotum huiusmodi formas, siuè Rit. Rom. ritus non præcallere inuenerimus, eundem, præter ordinis suspensionem, grauiter etiam arbitrio nostro puniemus.

In visitandis suæ Parochiæ infirmis omne studium, pietatem, ac religionem quisque curatus impendere debet suam; ita vt non modo accersitus, sed etiam vltrò illos sæpius inuisere teneatur, omnes præterea scandali, quamuis leuis, & quasuis suspicionis occasiones prorsus studeant eliminare;

&

& proinde semper in conspectu aliquorum adstantium, potissimum dum ad mulieres, ægrotas accedunt, domos illarum insimul cum vno Clerico, qui moribus, & habitu perfulgeat ingrediantur, habeant insuper secum Stolam cum superpelliceo mundo, quem per eundem Clericum sibi portari faciant; dum verò Sacramentalem ægrotantium Confessionem audiunt, Ianuas Cubiculi minimè claudi permittant, sed tantum domesticos, siuè circumstantes seorsum opportunè recedere faciant, taliter quod ipsi ab illis, vel saltem à Clerico aspiciantur. Si verò ex curati negligentia fidelium aliquem absq; Sacramentis obysse compertum fuerit, pœnam suspensionis ipso facto incurrisse decernimus.

Quæ Sacramenta sint necessaria ad salutem, hoc est Baptismus, absolutè, & Pœnitentia lapsis post Baptismum quæuè sint reiterabilia, quæuè non, & casus in quibus conditionatè administranda erunt, non modo neminem curatum, sed nequidem nullum simplicem Sacerdotem latere debet. In vnoquoque ipsorum tria potissimum necessariò requiri, Materiam scilicet, Formam, & Intentionem, quilibet animaduertat, pariterq; aliquid ex materia, & Forma diminuere, addere, vel transferre neminem posse sciant; prout nos harum seriè singulorum Sacramentorum materiam, & formam iuxtà S.R.E. ritum ab omnibus sub præmissa, aliisque arbitrio nostro pœnis infligendis, omninò seruandas esse mandamus; qui verò Sacramentorum materiam, & formam ad alios præter destinatos vsus applicare præsumpserit in anathematis pœnam incidat eo ipso.

Pro-

Pro Sacramentorum administratione nullus Parochus solutionem, aut munus quodcumq; per se directè, vel indirectè quouis prætextu absque auaritiæ, & Simoniæ suspicione exigat, vel requirat, Taxa inconcussè seruata Innocentiana. Qui secùs fecerint præter pœnas à Sac. Can. inflictas, aliis ad præscriptum Sac. Cong. Episcoporum rigorosè punientur.

De Sacramento Baptismi.

CAP. III.

QVotquot Christianæ militiæ adscribimur, Dominici gregis oues efficimur; & in eius ouile septem propugnaculis vallato, atque circumdato, septem nempè Sacramentis introducimur, ac detinemur. Huius ouilis antemurale, atque Ianuam Baptismi Sacramentum esse necessariò credendum est; Quisque ideo in huiusmodi ouile aliunde, & non per ostium introire auxus fuerit, hic fur erit, & latro.

Hinc est, quod omnes extra hoc ouile vagantes, de Dominico grege nullatenus appellantur, neq; reputari queunt; Studeant itaq; Parentes eorum infantulos statim ac in hanc lucem ediderint quantocyus regenerationis, Baptismi scilicet lauacro, abluendos, & regenerandos ad Matrices Ecclesias adducere, vbi veteris hominis vetustum deponentes, habitum, alium nouum, hoc est Dominum Iesum Christum induantur. Qui verò Parentes infantulorum suorum Baptismum vltra dies tres ad

Sum-

Summum distulerint, segniterque protraxerint librarum quinque ceræ albæ pœnam pijs locis impendant.

Primum itaque omnibus, & præsertim Parochis sub ducatorum viginti quinque pœna interdicimus ne huiusmodi Sacramentum alibi, quam in Parochiali Ecclesia ministrare præsumant; nisi necessitas, vel mortis periculum imminuerit, tunc enim si baptizzatus huiusmodi superuixerit, relique sollemnitates, & Ceremoniæ ad Rit. Rom. formam in Ecclesia per Parochum quam primum erunt supplendæ, & adhibendæ.

Ad huiusmodi Sacramenti validitatem prout in cæteris tria necessaria esse, vt desuper insinuatum fuit à quolibet Administrante satagendum erit. Formam enim quam S. Mater Ecclesia inuiolabiliter ab omnibus seruandam esse præcipit, quæ est: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti in Rit. Rom. tum Parochi, tum Sacerdotes edisscere, & memoriter retinere coguntur, & debent.

Sit in vnaquaque Parochialium Ecclesia fons lapideus ligneo conopæo opertus tela stragula circum amictus in cuius apice S. Ioannis Baptistæ Christum baptizantis apponatur imago, & clauibus firmetur, validèque muniatur; & in eo aqua singulis annis Sabato Sancto, & vigilia Pentecostes pro baptizzandis renouetur, & benedicatur; aqua, & Sacra Olea in vasis argenteis asseruata custodiãtur, & ibidem, sit vas prò aqua infundenda, & duo lintcola, alterum prò baptizzati capite abstergendo, alterum verò eidem baptizato ad formam Ritualis tradendum.

Hu-

Huiusmodi aquam annis singulis, vt diximus renouatam mundam, & incorruptam conseruari Parochorum potissimum munus erit; Si verò infrà annum illam corrumpi contingerit, remoueatur, & alia ad Ritualis formam per Parochum benedicenda, renouetur, totiès verò quotiès expurgari contingerit non desinàt Parochi aquam summatim ab immunditijs purgare cocleari aliquo, expurgationes verò comburere, cineresque in Sacrario reponere sub pœna arbitraria.

Ad eundem fontem baptismalem sit Sacrarium claue pariter custoditum, in quo aqua, quæ annis singulis in fonte supererit, vel infra annum fortasse corrumpetur, & quæ super baptizzandi caput effundetur, cæteræque Sacrarum rerum ablutiones honestè proijciantur.

Quod de aquę renouatione tradidimus, id etiam de Chrismatis, alijsque Sacris Oleis recensemus, cum elapso anno, veteribus combustis alijs de nouo consecratis, vtendum erit.

Necessitate suadente simplicem aquam naturalem, & si non benedictam validam esse huius Sacramenti materiam manifestum est; illa verò cessante absque mortali peccato adhiberi non posse omnes prænoscant.

In prolatione formæ, & materiæ, nempe aquæ effusione illud maximè seruandum erit, vt verborum prolatio, & aquæ effusio intentione faciendi quod facit Ecclesia, insimul proferantur, & terminentur.

Ordinarium huius Sacramenti ministrum, Parochum esse decernimus: Simplicem verò Sacerdotem absq; nostra, vel Parochi licentia sub arbi-

tra-

traria pœna solemniter ministrare posse vetitum est, infantibus verò non gentilium, vt persæpè conspeximus, sed Sanctorum tantum nomina imponi debere monemus.

Quum necessitas exegerit quemlibet, siuè masculum, siuè fœminam dummodo rationis vsum habeat, & formam proferre queat, & sciat, & Materiam applicet, legitimum huius Sacramenti ministrum esse indubitati iuris est. Inter interessentes tamen hunc ordinem seruare meminerint, vt maior minori, vir mulieri, Ecclesiasticus Seculari, Sacerdos Diacono, & succedentiuè, si tempus, vel honestas permiserit, sit præferendus.

Ad baptizatum de Sacro Fonte susciendum tantùm vnus vir, siuè mulier, vel ad summum vnus, & vna à parentibus, & in eorum defectum à Parochis designandi admittantur, inter quos, & baptizatum, & illius Patrem, & Matrem, nec non inter Baptizantem, & Baptizatum, Baptizatique Patrem, & Matrem tantùm spiritualis cognatio contrahitur. Parochi proindè huiusmodi cognationis effectum, quæuè eorum partes in infantum educatione, ac eruditione sint patrinos edocere non prætermittant.

Habeat Parochus librum in quo infantis diem natiuitatis, diemque in qua illum baptizauit, nec non Parentum, & Patrinorum nomina ad formam in Rit. Rom. præscriptam diligenter describat, & se subscribat, illumque in Ecclesia clauc custoditum retineat, & conseruet.

Vt plurimum obstetrices, dum puerperarum leuant partus ob mortis periculum infantulos domi baptizare contingit. Eapropter Parochi circa huius

Sacramenti administrationem formæ prolationem, & materiæ applicationem edoceant. Formamque vulgari idiomate proferendam, quæ est. *Io ti battezzo in nome del Padre, del Figliuolo, e dello Spirito Santo*. Apertè, & faciliori modo instruant aquæ infusionem super caput infantuli, & vrgente periculo super quoduis membrum cum formæ prolatione fieri debere præmoneant, & hoc Sacramentum reiterari non posse erudiant, & donec ita examinatæ, & instructæ fuerint, & licentiam à Nobis, vel nostro generali Vicario gratis concedendam, præuia Parochorum relatione obtinuerint, huiusmodi exercitium sub grauibus pœnis, ipsis vetamus, atque interdicimus.

Quum Sacramenti aliæ solemnitates in infantulos domi baptizatos erint in Ecclesia complendæ; ab eo; qui priuatè domi baptizauit Curatus animaduertat, num ritè formam protulerit, & materiam applicuerit; Sique de Baptismi validitate dubitari posse compererit eundem infantulum, hoc modo baptizet. Si es baptizatus ego non te baptizo, & si non es baptizatus ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, quod etiam in infantibus expositis, vel in nemoribus inuentis seruandum fore mandamus. Contrafacientes rigorosè arbitrio nostro punientur.

Religiosis, nempè Abbatibus, Monacis, Monialibus, cæteriſq; sub clausstro degentibus quempiam de fonte leuare vetitum est. Concubinarios verò publicos, excommunicatos, vel qui ætatis suæ decimum quintum annum non attingerit, quiq; præceptum de communicando in Paschate illius anni non adimpleuerint, nec non eos, qui confirmati

non

non fuerint, omninò ab infantum susceptione Parochus expellat.

In reliquis tandem à Conc. Trid. decretis, ac à Rit. Rom. præscripto nullo modo recedant, & in difficultatibus approbatos consulant Auctores.

De Sacramento Confirmationis.

CAP. IV.

MIlitiam esse vitam hominis super terram in Iob. VII. habemus, hinc est, quod sicut, & pugiles antiquitùs inungebantur, ita, & baptizati, signo Crucis per Episcopũ in fronte armantur, & inunguntur, vt tanquam validi milites Christum publicè fateri glorientur. In huius figuram Dauid à Samuele inunctus, Goliath Gigantem lapide fortitudinis, & funda humilitatis occidit. In Baptismo enim regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnam vnde Christus Dominus ad Apostolos ait. *Sedete in Ciuitate, donec induamini virtute ex alto, hoc est armis fortitudinis Spiritus Sancti, post cuius aduentum è domo exeuntes, sine timore ceperunt prædicare magnalia Dei.*

Studeant proindè Parochi, alijque Curam Animarum habentes, ita sæpiùs huius Sacramenti gratiam, & effectus insinuare, vt vnusquisque baptizatus rationis vsu minimè carens, confirmationis munimine seipsum roborari non prætermittat. In Adultis præter intentionem, contritionem, saltem de eorum culpis, ad gratiam consequendam requiri, in infantibus verò Christi Domini, & Ecclesiæ

intentionem sufficere per eosdem Parochos edocendum erit.

Qui ad quintum ętatis suę annum non deuenerit, & Dominicam Orationem, Apostolorum Symbolum, & Domini, ac Ecclesiæ præcepta, & Sacramenta memoriter recitare nesciuerit ad hanc Sacram confirmationem minimè accedat.

Huiusmodi Sacramentum non sine irregularitatis incursu scienter reiterari posse indubitatum est. Habeat propterea Parochus librum in quo confirmatorum, & Patrini nomina diligenter describat.

Vnus tantum Patrinus, & non duo confirmandum tenere debet; isque non modo baptizatus, sed confirmatus, & rationis capax sit; debilis enim debilem substentare nequit. Quos verò à baptizati susceptione prohibitos esse diximus, eos pariter ab huiusmodi Sacramento excludi debere mandamus, eamdemq; spiritualem cognationem, vt in Baptismo hic pariter contrahi declaramus.

Nouerint tamen omnes Christi fideles; Adultum qui hoc Sacramentum suscipere contempserit, absque dubio saluari non posse.

Festinantes igitur, & qua decet animi deuotione ad illud recipiendum accedamus, & in Domino canamus. Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis, vt perseuerantes in hoc robore ad Supernam Hierusalem ascendamus.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAP. V.

DVplici culpa, originali nempè, & actuali animam occidi Dominus, & Redentor noster agnoscens duplicia medicamenta Salubria, & vtrique necessaria vniquidem Baptismum, alteri verò Sacramentalem Confessionem misericorditer reliquit. De Baptismo paulo superiùs dictum fuit, nunc de Pœnitentia, quæ lapsis post Baptismum adeò necessaria est, vt sine ea nullus vnquam saluari possit Deo adiuuante, nonnulla explicabimus. Cum igitur hominum malitia ad mundi voluptates sequendas ita prona sit, vt septies in die etiam cadat iustus; huiusmodi remedio tanto celeriùs quisque iustificari debet quanto frequentius seipsum coinquinatum esse senserit. Hæc est enim illa Natatoria Syloe, in qua lotus cęcus à Christo missus illuminatur. Hæc Iordanes illa in quo Naam leprosus lotus septies, restituta fuit eius caro, sicut caro pueri paruuli.

Perneccessariam hanc materiam, & sermonibus, & monitionibus, quam sæpissimè Parochi fidelibus inculcando aperiant, vt ab iniquitatibus reuocati, seipsos Sacerdotibus ostendant.

Quoniam verò experientia docet innumera crimina ex Confessariorum segnitie, vel imperitia, vt plurium non modo non extirpari, verum, & excoli, & foueri; proindè Sacerdotum omnium potissimum erit validè Confessionis conditiones, vel il-

illius inualidationes,& quandoque neceſſarias reiterationes, & peccatorum qualitates, ſpecies, & circunſtantias, ita rectiùs percallere, vt quocunq; eos neceſſitas, vel caſus vocauerit, prudenter, & expedite conſulere, & de ſalubri remedio valeant prouidere.

Vt igitur huiuſmodi malo prò viribus occurratur harum ſerie omnibus noſtræ Diœceſis Sacerdotibus monendo mandamus, vt eorum quilibet ſaltim penès ſe habeat Concilium Tridentinum Synodum hanc noſtram Diœceſanam, nonnullorū Theologorum, & Doctorum ad minus ſummas alioſq; caſuum conſcientiæ approbatos libros, quibus in eorum domibus vnuſquiſque ſtudere teneatur, ac debeat. Ad facilius inſupèr, vel Clericorum, vel Sacerdotum ſi qui erunt imperitiam eijciendam caſuum conferentiam in qua non modo Sacerdotes, ſed etiam Clerici intereſſe teneantur in hac noſtra Diœceſi inſtituimus. Singulis itaque Dominicis diebus poſt Veſperas tres caſus, qui in præcedenti Dominica in aliqua pagella deſcripti, & propoſiti fuerant modeſtè, & prudenter in Choro per Clerū diſcutiantur, & reſoluantur: poſt quos tres alij, ſuper quibus in Dñica immediate ſequenti diſputandū erit per Parochum, ſeù aliū Sacerdotem perturnū deſcribātur, & proponātur. Caſus verò, & materias, quæ frequentiùs accidunt, quaſue magis proficuas, ac neceſſarias eſſe iudicauerint potiſſimum proponere, & diſcutere meminerint; Si verò in aliquibus de illius reſolutione difficultatum fuerit conſulant peritiores. Neuè tantus labor temporis lapſu pereat, & euaneſcat, ideò in quolibet Choro ſit liber, in quo ſinguli caſus terni in quali-

bet

bet Dominica propositi cum illorum resolutione describantur, & in futurum conseruentur. Clerus denique qui huiusmodi casuum conferentiam facere neglexerit, & in libro illos describere pretermiserit ducatorum duodecim pœnam pijs locis erogandam prò qualibet vice incurrat. Sacerdotes quotiès legitimè non impediti non interfuerint, duarum librarum Ceræ, Clerici verò vnius pœnam, singuli persoluant nostro arbitrio applicandam.

Huius Sacramenti neminem Sacerdotem secularem, siuè Regularem absque nostra, vel Vicarij Generalis nostri licentia legitimum ministrum esse sciant. Qui verò, præter mortis articulum hanc Iurisdictionem absoluendi a peccatis sibi temerè arrogare præsumpserit suspensionis alias arbitrio nostro pœna infligenda, seuerè plectetur. Vtuè in necessitatis casibus absolutionem pœnitentibus illicò impendere valeant, absolutionis formam quilibet Sacerdos edisceré, & memoriter retinere debet; qui autem, dum in Visitatione examinabitur, illam ignorare compertus fuerit Carceris pœnam per mensem irremisibiliter luet præter pœnam desuper impositam.

Caueant autem Confessarij, ne in alienam messem manus immittentes ipsi alienarum culparum participes fiant. Ab excommunicationibus itaque in Bulla Cœnæ Domini, & in præsenti Synodo expressis, & à Casibus nobis, aliisque Censuris à Iure, vel ab homine quomodolibet inflictis, reseruatis quemlibet extrà mortis articulum, & tunc cum reincidentia, si conualuerit, vllo pacto absq; licentia absoluere audeat, vel præsumat, secus facientes excommunicationis sententiam S. Sedi reser-

seruatam eo ipso incurrat: præter alias pœnas quibus arbitrio nostro in vim sequentium S. Congregationis literarum ad Archiepiscopum Neapolitanum acriter punientur.

Eminentissimo, & Reuerendissimo Signor mio Osseruandissimo.

QVesta Sacra Congregatione hà più volte dechiarato con ordini espressi di Clemente Ottauo di Gennaro, e Nouembre 1602. di Paolo V. 1613. di Gennaro d'Vrbano VIII. S. M. di Nouembre 1628. che le facoltà tutte d'assoluere da casi riseruati, e riseruandi da gl'Ordinarij, ò vero compresi, ò da comprendersi nella Bolla in Cœna Domini implicitè, vel explicitè, & altri riseruati solamente alla S. Sede nel medesimo decreto di Nouembre 1602. concessa à Secolari, ò Regolari Congregationi, ò Confraternità di qualunque prerogatiua, ò specialità etiam necessariò exprimenda, sono state annullate, & estinte, così dal Sacro Concilio di Trento, come dalle sudette Costitutioni, e che in vigore delle Confirmationi, Estensioni, e Communicationi ottenute doppo, ò da ottenersi per l'auuenire sotto qualsiuoglia amplissime Clausule, non s'intenda mai rinouata la sudetta facultà, riseruando solo l'Indulti concessi specialmente fuori d'Italia, ò dentro Roma, quanto à gli casi riseruati alla S. Sede non compresi nella detta Bolla. Onde venendo rappresentato alla Santità di N. S. da V. E. con la sua lettera de 4. d'Agosto precedente, che in cotesta Città, e sua Diocese alcuni Confessori Secolari, e Regolari senza giustificatione con quali facoltà assoluano de facto dalle censure, e Casi sudetti. Et in oltre disseminando opinioni erronee

nee asserisconо, che per potere assoluere validamente dalli Casi riseruati all'Ordinario basti hauer domandato al medemo la facoltà ancorche ricusi di concederla. Questi Eminentissimi miei Signori d'espressa Commissione di S. B. m'hanno imposto di scriuerli, che con la facoltà, che à tale effetto se li communica in virtù delle presenti, e sotto le pene, che giudicarà espedienti faccia intendere à tutti li suoi Confessori di costi siano quantisiuoglia priuilegiati, ò essenti, che onninamente si conformino con li sudetti decreti, e non ardiscano di contrauenire sotto qualsiuoglia pretesto, ò caso etiam di precisa necessità fuorche in articulo mortis con reincidenza si conualuerit. Dichiari solamente annullati tuiti gl'Oracoli, e Indulti Apostolici ottenuti in voce da detto tempo in quà, e à gl'altri, che pretendono hauerne Breue, ò Bolla in forma specifica doppò l'vltima constitutione d'Vrbano prefigga vn termine peremptorio di trè mesi ad esibirla à questa Sac. Cong. altrimente vuole, e dechiara N. S. che s'intendano decadute, e priuati di esse, & eo ipso senz'altra intimatione; finalmente, che dopò hauer fatto notificare cosi, doue, e come stimarà essere di bisogno, che quelli, che domandano all'Ordinario la facoltà d'assoluere, e non l'ottengono non possono valersene, ella dechiari incorrere nella sospensione dall'vdire le Confessioni Sacramentali, quelli, che publicamente defenderanno la dottrina sudetta, ò pure presumeranno temerariamente d'assoluere, ancorche à loro sia stata denegata, ò non concessa la facoltà da gl'Ordinarij: Così V. E. resti seruita di fare, che puntualmente s'eseguisca con dare quì distinto auuiso dell'operato, & Io li bacio humilmente le mant. Di Roma 7. Decēb. 1646. Di V. E. humilis. & affettionatis. Seruitore M. Cardinal Ginnetti. G. Arciuescono di Patrasso Secr.

Absolutionem enim, quam Sacerdos in eum profert in quem Ordinariam, aut subdelegatam non habet Iurisdictionem nullius momenti esse S. Synodus in sess. 14. cap. 7. de refor. latissimè declarauit, addendo insuper magnopere ad Christiani populi disciplinam pertinere, vt atrociora, & grauiora crimina non à quibusdam, sed à Summis duntaxàt Sacerdotibus absoluerentur.

Eaproptèr Sacerdotes Confessarij, qui post mensem à præsentium publicatione casus omnes Sedi Apostolicæ, & nobis reseruatis memoriæ mandare non curauerint ab audiendæ Confessionis officio suspendentur.

Pœnitentium Confessiones, nisi publicè in Ecclesijs audiri posse interdicimus. Imò non alibi, quam in Confessionalibus in quorum lateribus Crates ex laminis omninò existant, ex quibus mulierum Confessiones, illæque nec ante Solis ortum, nec post eius Occasum à Confessarijs audiantur; non autem in domibus, nisi infirmitatis causa, vel de nostra expressa licentia, & tunc, quæ mulierum, non clausis ianuis, sed in conspectu aliorum; sufficienter distantibus, ne peccata audiant, vt aliàs declarauimus.

Confessionales Sedes iuxtà Confessariorum numerum, & loci quantitatem in publicis Ecclesiæ locis proportionabiliter collocatę decenter erigantur, in quarum singulis non modo casuum copia in Bulla Cœnæ Domini, ac in nostra Synodo reseruatorum, sed absolutionis forma, & D.N. vel eius Sanctorum aliqua deuota imago iugiter affixa permaneat; sin secùs trium mensium carceris pœnam irremissibiliter luet.

Sa-

Sacramentales Confessiones, non nisi cum Stola, & Superpelliceo, præter necessitatis casus audiri posse mandamus. Pœnitentes non armatos, sed genuflexos, mulieres verò maiori qua decet honestate eorum peccata humillimè confiteri præmoneant. Quos orationem Dominicam, Apostolorum Symbolum, & Decalogi, ac Ecclesiæ præcepta saltim ignorantes compererint, illosque, quos præuio examine eorum conscientiam diligenter non examinasse animaduerterint, donec illos instructos, vt supra diximus, hos verò rectè dispositos iudicauerint, ad Confessionem Sacramentalem nullo modo admittant; Erga Pœnitentes adeò misericordiam cum rigore permisceant; vt potius virtutis amore allecti, quam formidine pœnæ deterriti ad peccatorum detestationem, & bonorum operum perseuerantiam facilius inducantur. Peccatorum proindè prauos effectus, & bonorum operum pulcherrimos fructus saluberrimis exemplis, & monitionibus leuibus ijsdem insinuare potissimum conentur. Peccandi occasiones proximas lasciuiæ præsertim, & quorumuis peccatorum detestandam frequentiam, omni studio eliminare, & radicitùs extirpare procurent; quos verò recidiuos, ac incorrigibiles agnouerint absolutionis beneficio priuandos esse recordentur. Confessarius pœnitentem, adhuc Confessione non expedita, dum illum nonnulla fortasse grauiora peccata propalantem audiuit, à rigorosis redarguationibus, & à quibusuis admirationis signis omninò se abstineat; imò humanam commiserando fragilitatem, eundem ad reliqua, si quæ fuerint peccata detegenda mollibus; ac religiosis verbis adiuuare conetur; ne rigo-

ris formidine correptus aliquod graue peccatum non sine maximo detrimento reticeat.

Satisfactiones iuxta pœnitentium, & peccatorum qualitatem Confessarij iniungant; ita vt non pauperibus eleemosynæ, nec laborantibus ieiunia incongruè imponantur; & multò minùs eleemosynæ prò Missarum celebratione sibi applicandæ; sed satisfactiones quascumque ad suspiciones tollendas pœnitentium arbitrio satisfaciendas relinquât. Vtque faciliùs congruam satisfactionem iniungere queant, Canones pœnitentiales quemlibet Confessarium non ignorare equum est. Restitutionis onus alicui forsan faciendæ nequaquam Confessarij in seipsos suscipiant: Si verò ad restituentis notitiam euitandam, aliter fieri posse nequiuerit; tunc ad pœnitentis opinionem exonerandam, ab eo cui restitutio fiet, Apocam de recepto pœnitenti protinùs producendam procuret.

In Confessionibus exterorum, quorum notitia eo hactenùs minimè habita fuerit; de eorum loco, statu, conditione, professione, & exercitio potissima interrogatio erit præmittenda; satagendum erit insuper, ne prò Ordinariorum suorum iudicio effigiendo, neuè proximas peccandi occasiones tollant, & delictorum identitatem, ac perseuerantiam deponant ad ipsos accedant: in huiusmodi enim, & similibus Casibus Sacramentalem Confessionem illis non indulgeant, sed paternis monitionibus ad Ordinarios suos, nisi Peregrini sint reuersuros procurent; in casibus verò eorum Ordinario reseruatis nequaquam manum immittant. A Dominica verò Passionis vsque ad Dominicam in Albis inclusiuè alienæ Diœcesis subditos ad Confessionem

Sa-

Sacramentalem nullatenus admittant, sed suas consulant adire Parochias.

Commonere quandoque Parochi non negligant, vt fideles non modo in Paschate, sed in Ascentione Domini, Penthecostes, Corporis Christi, sollemnitatibus, eiusq; Sanctissima natiuitate in Beatissimæ Virginis natiuitate, Annunciatione, & Assumptione, nec non in Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, Omnium Sanctorum, & cuiusque loci Patroni, siuè titularis festiuitatibus eorum peccata deuotè, & fideliter confiteantur; in quibus diebus Confessarij ad Confessiones audiendas per duas horas in eorum Sedibus insideant; & interim à Choro non abesse censeantur.

Caueant Parochi alijque quibus Animarum cura commissa est, ne eorum culpa aliquis absque Sacramento Pœnitentiæ decedat: Singuli proindè Medici, vt primum ad infirmos vocati accesserint eosdem, vt eorum peccata confiteantur monendo hortentur, & Parochum certiorare non negligant. Sique post triduum (nisi aliter Parochi, seù cuiusuis Confessarij iudicio, & conscientiæ expedire, visum fuerit) infirmum eius peccata minimè fassum esse compererint, ad eundem visendum vulteriùs non accedant; alitèr enim pœnas ab Innocentio III. fæl. record., & B. Pio V. in eorum Constitutionibus inflictas se nouerint incursuros.

Sigilli inuiolabilem conseruationem, hoc est peccatorum quorumcumque prohibitam esse propalationem neminem quidem Sacerdotem latere credendum est: pœnas tamen aduersus huiusmodi pessimos delinquentes, depositionis S. & perpetuę infamię in Cap. omnis vtriusque sexus de pœnit.

remiſs. videre eſt.

Pœnarum deniquæ, quæ contra flagitioſos Confeſſarios, tum maſculos, tum fœminas in Confeſſione ſollicitantes in Conſt. fæl. record. Greg. XV. quæ incipit vniuerſi Dominici nullum Confeſſarium in memorem eſſe multum expedit: qualitèr etiam huiuſmodi ſollicitantes denunciandi ſint in eadem Conſtitutione declaratur.

In Caſuum Conferentijs vt ſuprà diximus de delictis, quæ frequentiùs accidunt, & quæ validiori indigent remedio, nempè de Vſuris, Adulterijs, Concubinatu, Blaſphemia, Magicis Artibus, Veneficijs, Diuinationibus, Incantationibus, ac Superſtitionibus, reliquiſque Criminibus, quæ non non modo illa patrantibus pernicioſa, ſed cæteris maiori ſcandalo eſſe poſſnnt vt plurimum tractare, & frequentius diſputare omnes in ſuo Clero reminiſcantur, memores tamen ne de aliquo delicto diſceptando Pœnitentis notitia aliqualiter haberi poſſe videatur.

Vt verò publicè excommunicati cunctis, vt vitentur innoteſcant Parochi Cedulonum ſeriem inuiolabiliter erunt ſeruaturi, necnon excommunicatorum nomina inter Miſſarum ſolemnia ſingulis Dominicis, & Feſtis diebus ſigillatim denunciare, ac Campanarum ſonitu publicare non prætermittant ſub pœna ducatorum duodecim pijs locis irremiſibiliter eroganda.

In monitorialibus quæ prò deperditis, & alijs rebus cuiuſmodi expedientur Parochi Curiæ reſcriptum adamuſſim exequi, & obſeruare tenentur. Poſtquam etenim trinas monitiones præmiſerint reuelationes ſi quæ fuerint diligenter obſignantes

tranſ-

transmittant ad hanc Curiam per quam de excommunicatione fulminanda, siuè suspendenda eidem reseribetur. Hæc itaq; quæ sequuntur vt magis necessaria, & vtilia breuiter traduntur.

De Vsurariis.

§. I.

TEnebricolam vsuræ voraginem, illiusq; inexplicabile vitium esse quilibet Confessarius prudenti animo perpensurus erit. Cum enim cætera vitia cum senescente senescant, sola auaritia iuuenescit, & super omnes eius species Vsura; Hinc est quod iure meritò in Psal. 54. per Prophetam dicitur: *Non defecit de Plateis eius vsura, & dolus.* Execrabile hoc vitium omni Iure prohibitum esse à nemine prorsus ignoratur. Et quod primũ Iure naturæ vetitum sit in 6. de Reg. Iur. colligitur; quia nullus cum aliena iactura locupletari debet. Illud diuino Iure pariter damnatum fuisse in Luc. 6. habemus. *Date mutuum, nihil indè sperantes.* Et denique per legem humanam expresè detestatum fuisse *in* 14. *dist.* 3. *& quæst.* 4. *& extra: de vsur. per tot.* præcipuè *in cap. magis*, exprimitur; vbi publici Vsurarij excõmunicantur quoad percipienda Sacramenta, &c.

Quod igitur vnanimiter reprobatum accipimus, vt à nostra Diœcesi longè eliminetur ab omnibus elaborandum est, ne tamquam lepra Giezi, quod absit transfundatur in posteros. Huiusmodi tamen pessimum vitium principaliter in mutuo committi verissimum est. Vsuram etiam in realem, & mentalem,

talem, nec non in velatam, siuè palliatam diuidi DD. omnes affirmant; illamque non solum pecunia, sed quouis pacto, vel obligatione, quæ sit pretio exstimabilis frequenter contrahi ijdem docent. Quotiescumque enim quæuis res mutuatur, siuè sit de illis quæ vsu consumuntur, vt victualia, &c. siuè distrahuntur, vt pecunia cum pacto aliquid recipiendi vltrà sortem, siuè illud sit à manu, siuè à lingua, siuè ab obsequio in omnibus hisce casibus Vsuram committi Confessarij sciant. Propter anticipatam solutionem aliquid de iusto prętio, infimo nempè, & pio diminuere, vel propter prorogatam cariùs vendere prohibitum esse meminerint.

In mutuis verò cuiusuis generis, & speciei apparenter licitis, ac à Iure permissis, num mentalis vsura intercesserit Pœnitentes interrogabuntur; Illud enim non absq; peccati mortalis maxima labe fieri posse omnibus innotescat.

Animalium materiam, quæ Soccidæ appellantur cum nimis varia materia, & consuetudo sit; propterea proborum virorum, & locorum approbatos mores vbique retineri posse monemus.

Materia de Contractibus potissimum perlegere omnes Confessarij satagant; Constitutiones quo circà B.P.ij, & Xisti V. edisscere maximè proderit.

In Societatibus num negotia sint licita, si pecunia sit periculo ponentis, & quod inter Socios seruetur æqualitas sedulò inuigilare non negligant.

Huiuscemodi materiam quò difficiliorem, eo frequentiorem esse, illamque vel Confessariorum culpa, ac imperitia potissimum foueri, vel eorum prudentia, & maxima animi perspicacia extirpari clarissimum est. Si igitur eorum inertia hanc labem

quod

quod absit non expurgari cõtigerit vindicem Dei, & nostram seueram experientur manum; Si vero in ea eliminanda non oscitantes fuerint ab eodem Omnipotenti Deo retributionem largiter erunt accepturi.

Casus tandem pro huiusmodi prauitate nobis referuatos, insuper, & pœnas aduersus hosce improbos fœneratores acriter inflictas in hac nostra Synodo in Sac. Can. in quæ Clem. V. & præmissorum Rom. Pont. Const. Confessarij omnes percunctari frequentiùs poterunt.

De Adulteris, & Concubinaris.
§. II.

GRauissimum Adulterij peccatum, & in Sac. Con. Trid. & Sac. Can. vnanimi Sum. Pont. & SS. PP. Consilio damnatum, meritò ab omnibus Christi fidelibus detestandum esse videtur. Illud enim non solum in lege Moysis, verum etiam in lege naturali non scripta reprobatum esse conspicitur, implicitè enim ex illis verbis colligitur. *Quod tibi non vis alteri ne feceris*: Adeo vt etiam ethnici, & Idolatræ magis ab Adulterij, quam homicidij crimine abborrere videbantur: Exemplum habemus in Abraham qui dum propter famem in Egyptum descenderet, Saramq; Vxorem suam pulchram esse videret ne ipse occideretur illam Sororem suam, quam Vxorem appellari maluit. Ad pessimum hoc vitium coercendum pœnas in vtroque Iure aduersus adulterantes statutas potissimum videre est. Hinc bella, Seditiones Inimicitias, Homicidia, Inæstus, Hæreditatum illegitimas

Exod. 20.

Tob. 4.

depredationes, matrimonij nullitates, innumeraq; mala sæpius exoriri certissimum est. Cum igitur variorum malorum origo, radix, & fundamentum sit, omnes nostræ Diœcesis Parochos, aliosque curam Animarum habentes quantum in nobis est in Domino obsecramus; eisque mouendo iniungimus, vt omni studio, diligentia, ac remedijs opportunis huiusmodi luem quisque à sua Parochia prorsùs expellere, & effugare conetur; & inter coniugatos mutuam charitatem dilectionem, ac fidelem cohabitationem dum vixerint insimul conseruandam maximè curent. Si verò quempiam eorum monitionibus insordescentem agnouerint illum nobis, vel nostro generali Vicario denuncient.

Quæ de pernicioso Adulterij vulcere repurgãda mandauimus, non minus prò pessima concubinatus peste exterminanda propera pharmaca adhibenda fore decernimus. Quos igitur Christi fideles continentiæ speculum hactenus Parochi non violasse prænouerint, hosce ad vltimum, vsque vitæ terminum illud inuiolatum, & incorruptum conseruare commoneant. Si verò temporum licentia, siuè Parochorum incuria huiusmodi zizania sicubi succreuisse compertum fuerit Sac. Can. & præsertim Const. Con. Trid. falcem adhibendam esse statuimus. Cum itaque aliquem siuè vxoratum, siuè solutum licet monitum ab hoc damnationis statu prosilire, & resurgere nolle videbunt illum Episcopali Curiæ nostræ denunciatum iri præcipimus, vt trina monitione præmissa Excommunicationis gladio irremisibiliter feriatur si postea in cænsurarum contemptum per annum quod absit in fætido concubinatus cæno seipsum volutauerit seuerio-

rem.

rem Ecclesiastici iudicij, etiam cum brachij secularij inuocatione experietur vindictam. Nefarias Concubinas eiusmodi punitas, etiam extra Oppida aliquando exterminaturi. Clerici tandem se etiam Castitatis voto adstrictos, & Spiritus Sancti habitaculum esse sciant; memores, quod Agnum immaculatum quocumque ierit erunt comitaturi.

De Blasphemis.
§. *III.*

NEquissimam humani generis iniquitatem eo passim appulisse, non sine dolore conspicimus, vt quamplurimi bestiarum more proprij Creatoris obliti oris sui cloacas aperientes ancipiti linguarum gladio execrationis iacula in Deum, & Sanctos illius proferre non erubescunt. Genimina viperarum; prò eo vt Dominum factorem suum benedicerent, & illius præcepta religiosè seruarent; aduersus illum maledictionem prò benedictione loquuntur: *Leones rugientes, quorum dentes Arma, & Sagittæ, sed eorum molas configet Dominus, quia de Blasphemo mulieris Israelitis filio sic ad Moysen locutus fuit.* Educ blasphemum extrà Castra, & ponant omnes qui audierunt manus suas super caput eius, & lapidet eum Populus vniuersus. *Leui. 24.*

Ad huiusmodi saniem è flagitiosorum pectoribus eradendam Parochorum, & Confessariorum opus pariter, & auxilium in Domino petimus, & obsecramus. Paternarum monitionum snffragijs in Ecclesijs, in Vijs, & vbicumque casus exegerit hosce miseros cohortare increpare, & ab æterna damnatione eripere quantum in illis est certatim non desinant.

Non ſeuiori ſtudio omnes, & quoſcumque in Diœceſis noſtræ locis temporalem Iuriſdictionem, & Dominium exercentes in eodem Domino monemus, vt in eoſdem Blaſphemos, dummodò hæreſis prauitatem non ſapiant ſeuerè in eorum pœnam, & cæterorum exemplum animaduertant. Si enim in compeſcendis execrantiũ linguis non oſcitantes fuerint annorum decem Indulgentiam à fel. record. Leone X. elargitam totiès conſequentur; Indulgentiam huiuſmodi ij qui hoſce peruerſos Curiæ puniendos denunciauerint erunt pariter lucraturi.

Cum itaq; de Diuinæ Maieſtatis rebellium agatur iudicio omnes fideles eorum vires prò illis exterminandis, vel compeſcendis experituros ſperamus. Parochorum proindè partes erunt B. Pij V. Bullam in qua ſupplicia in Concil. Lateranen. ſub Leone X. contra Blaſphemos continentur, vernacula lingua ſingulis menſibus inter Miſſarum ſolemnia populo declarare ſub pœna ducatorum duodecim.

Prò huiuſmodi namque nefaria corruptela exterminanda eos qui Sanctiſſimum Domini nomen, & Glorioſiſſimæ Virginis Deiparæ, & Sanctorum Dei temerè blaſphemare auxi fuerint prò prima vice vigintiquinque, prò ſecunda quadraginta, prò tertia verò ducatorum centum pœna plectendos eſſe in præmiſſis Conſtitutionibus ſancitum eſt.

Qui tamen blaſphemus adeò vilis, ac miſerabilis fuerit, vt præmiſſas pœnas ſoluendo non ſit; primum per diem integrum manibus poſt terga ligatis ante fores Eccleſiæ erit permanſurus: Secundò per Vrbem circumductus fuſtibus cędetur; Tertiò

tiò verò illius perforata lingua ad triremes damnabitur.

Blasphemantes verò Clerici prò prima vice in fructuum, prò secunda in beneficiorum pariter amissionem, ac priuationem incurrant: prò tertia quauis dignitate exuti in exilium mittentur: quod si Clericum beneficia, nec dignitates obtinere contingerit pecuniaria, vel corporalia primum pœna mulctabitur; Secundò, in vinculis detrudetur; Tertiò, verbaliter degradatus ad triremes mittetur.

Vt hoc, & æternæ mortis iudicium Dominus à nobis abesse dignetur benedicamus Patrem, & Filium cum Sancto Spiritu, laudemus, & semper super exaltemus eum in secula.

De Magiis, & Incantationibus.

§. IV.

TOtius Christianæ Reipublicæ animas callidissimus hostis deprædari cum inhiat, hinc fraudes, illinc versutiæ suæ offendicula præparare non desinit, & quos nequitiæ suæ retia implicare non possunt, diabolorum auxilio, vanaq; industria illaqueare contendit. Hunc aliquando præstigiosis apparitionibus allicit, illum falsissimis diuinationibus detinet. Hunc necromantia, & auspicijs protrahit, illum verò sortilegis artibus inuitat, & decipit. Talibus fallacijs, tartareisque inuentis fratres non patiamur adduci. Occultarum rerum scientiam propriam Dei esse quem latet, iuxtà illud Esa. 41. *Futura & noui ssima annunciate nobis, & dicemus, quia dij estis*; infirmorũ naturali remedio nullo

lo adhibito à solo Deo salus pēdet. Vnde Christ. de Cananea inquit: *Non peruenit ad Diuinos, non vocauit Magos, non alligaturam quæsiuit, non Impostatrices mulieres adduxit, ideſt incantantes, non ad falsa præsidia confugit, sed reliquit omnes diaboli falsitates, & venit ad Iesum.*

Quos igitur Confessarij, & præsertim Parochi temerarios futurarum rerum enunciatores esse cognouerint, quique ex syderum constellationibus, vel ex somnijs vocibus, verbis signis motibus, lineamentis, figuris; & prohibitis sortibus, fortunia infortunia, rerum euentus, & effectus pendere contenderint, eos etiam qui nullis naturalibus medicinis adhibitis, sed solum incantationibus, verbis, & adiurationibus morbos, ac infirmitates è corporibus expulserint, vel maleficijs, ac superstitiosis artibus quempiam infirmitatibus, licet non lęthalibus affici, & quandoque etiam ab immundis spiritibus obsideri fecerint; quiuè occultarum, ac reconditarum rerum huiusćemodi superstitiosam notitiam habere auxi fuerint; hosce omnes vti idolatros Sathanæ Magistros, Magos, Diuinatores, Sortilegos, Incantatores, falsos Ariolas, & superstitiosos Aruspices fugiendos esse prænoscant, & proindè prćmissos omnes, quiuè Iudiciariam Astrologiam exercuerint, & libros de his tractantes retinuerint, alioſque quibusuis modis, vel Artibus tacitè, vel expresśè, Dćmonum malitia inuocatione, vel auxilio vtentes, pœnas in Xisti V. & Vrbani VIII. fel. record. Const. contentas, & excommunicationis sententiam incurrisse, & à S.M.E. gremio segregatos esse meminerint.

Qui in superstitionibus huiusmodi etiam Sacris

Oleis

Oleis aqua Baptiſmatis, cæteriſque Sacramentalibus, & Sacris rebus, aut verbis abutentur, præter Excommunicationis pœnam, iuxta enormis criminis qualitatem ſeueritèr Iudicis arbitrio punientur. Idolatræ tamen, qui à Fide apoſtatando pactum cum Dæmone inientes aliquem morbo, vel infirmitate affecerint, licet mors non ſequatur, vel ab immundis ſpiritibus vexari fecerint Curiæ Seculari tradentur.

Eos pariter omnes qui Diabolicis Artibus, ac ligaturis Sacramenti matrimonij vſum, ac effectum impedire, & temere obſtringere auxi fuerint, ſuperſtitionis peſte affectos, & non leuioribus pœnis feriendos eſſe declaramus. Maleficiati tandem, ſiuè ſponſi, ſiuè alij quicumque, non alijs maleficijs, ſed Omnipotentis Dei, qui omnium noſtrum Medicus, & Medicina eſt ope, atque auxilio ſoluendos, & curandos eſſe prænoſcant: aliter enim aduerſus eoſdem non ſecus, ac in maleficos præter cenſuras acritèr procedetur.

Innumeros denique præſtigiorum, ac ſuperſtitionum ſpecies hic adducere durum, & non neceſſarium eſſe viſum fuit: illas etenim apud DD. & præſertim apud Turreblancam inquirere ſatis erit. Potiſſimum quia Dei Omnipotentis auxilio, & Beatiſſimæ Virginis interceſsione præueniente nequiſsimum hoc ſcelus procul hinc ſemper abfuturum ſperamus, vt cum Propheta hilares canamus. *Beatus Vir cuius eſt nomen Domini ſpes eius, & non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas.*

De Exorcismis.

§. V.

POst Maleficorum Materiam meritò de exorcizzandis, energumenis breuitèr tractare visum fuit. Quicumque ad laboriosissimum exorcizzandi munus præponendus erit, hunc non modo pietate, vita, moribus, ac religione integerrimum, sed Sacræ Theologiæ, vel Sac. Can. eruditum profectorem, & Sacerdotem esse oportet. Hic cum callido hoste certamen habiturus omnes conscientiæ suæ neuos purgare, & diligenter expiare non negligat. Ad huius hostis facilius: Iacula confringenda non nisi ieiunij galea contectus, & Orationis clypeo præmunitus, & post Missæ Sacrificium, si fieri poterit persolutum ad pugnam descendat.

Et proindè idem exorcista ad exorcizzandum Energumenum nullatenus accedat, nisi priùs eundem Sacramentali Confessione, conscientiam ab omni labe purgasse cognouerit, vt Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento persæpè refecto, Ecclesiarum frequentatione, & Ieiunijs, ac Orationibus assiduè intento à Deo, & Sanctis eius omne præsidium, & misericordiam sit expostulaturus.

Exorcismi munus alibi sinè nostra licentia, quam in Ecclesijs ubique nec ante solis ortum, nec post occasum coram paucis viris, ac probitate præditis exerceri non posse mandamus. Dum excorcizzandæ erunt mulieres duæ saltim aliæ adsint fœminæ quæ ipsius energumenæ consanguineæ sint, sin secus coram alijs dummodo ætate, ac honestate conspi-

ſpicuæ ſint ; Memores tamen exorciſtæ , vt ab illius contactibus omninò ſe abſtineant, ſed Stolæ extremitatem , & tunc honeſtè deſuper imponant .

Priuſquam exorciſmum ordiatur ſtudeant exorciſtæ immò Medici , ſi opus ſit, iudicium querat num Energumenus alicuius morbi vi, & occaſione vexetur , an fictis diſſimulationibus , & an verè ab immundis ſpiritibus obſeſſus ſit ; & demum ſi vnquam aliquam Excommunicationis ſententiam incurrerit à qua niſi fuerit abſolutus ante omnia abſolui curabit .

In Exorciſmis ritus, preces, ac omnia ab Eccleſia approbata , & ſtatuta ſeruentur; ſuperſtitiones , & maleficia procùl ſint; Quiuè huiuſmodi Exorcizzandi exercent munus à quouis turpi queſtu ſe conſeruent illęſi . A Dęmone de cuius ore non niſi mendacia , & fallaciæ prodeunt reſponſa Diuinationes, ac occultarum rerum notitiã percunctari , &expectare non audeant Exorciſtæ , qui aliter Suſpenſionis , & alterius arbitrio noſtro pęnam incurrent.

Ad huiuſmodi munus diligenter exercendum nullus etiam ſi Parochus ſine noſtra licentia ſe ingerat. Regulares verò nequidem abſque ſui Superioris , & noſtra licentia in ſcriptis Exorciſtæ munus exercere præſumat .

Hi omnes non proprijs viribus innixi , ſed Dei Omnipotentis auxilio immundos ſpiritus eijciendos eſſe meminerint .

(·:·)(·:·)(·:·)

Casus Episcopo Caluensi reseruati.

§. VI.

1 BLasphemia contra Deum, & Beatam Virginem.

2 Maleficium, Diuinatio, vel Incantatio cum expressa, vel tacita Dæmonis inuocatione.

3 Homicidium voluntarium.

4 Iuramentum falsum in Iudicio præiudicans alteri, & ad illud seductio, mandatum, consilium, vel quodlibet auxilium.

5 Abortus, vel illius procuratio post animatum fœtum, effectu etiam non sequuto.

6 Raptus mulierum, & stuprum Virginis per vim, cum Sacrilegio Religiosi Professi.

7 Incestus in primo, & secundo gradu consanguinitatis, & affinitatis.

8 Sodomia, vel Coitus cum brutis Animalibus.

9 Peccatum Parochorum temerè dispensantium in Festorum obseruatione.

10 Medici ad graui morbo affectos accedentes, postquam illos tertiò viserint, & conscientias non expiasse inueniunt.

11 Grauis culpa eorum qui alicuius Ecclesiæ Capituli suffragia alteri propalant.

12 Coniugum Copula ante contractum matrimonium.

13 Debitores Decimarum, aliorumque iurium Ecclesiasticorum ad Sacramentales Confessiones non admittendi, nisi soluto ære alieno, vel saltem consulto Episcopo; Et huic casui annexa est pœna

Su-

Suspensionis ab exercitio Sac. pœnitentiæ contra Confessarios prauè absoluentes.

14 Confessarij qui suo socio criminis, & peccati, Sacramentalem Confessionem indulgent.

Censuræ Episcopo Caluensi reseruatæ.

§. VII.

1 NOn reuelantes Curiæ Episcopali eos, qui Magicas Artes, Veneficia, Incantationes, Sortilegia, aliasque superstitiones exercent, à fidelium communione remouentur.

2 Qui rebus, aut verbis Sacris ad præfatas iniquas artes exercendas abutuntur, seù quouis alio modo ijs flagitijs incumbunt, excommunicationi subiacent.

3 Qui Sabato Sancto superstitiosè obseruant primum liberæ Campanæ sonum Anathematizzantur.

4 Qui adeunt veneficas personas, vt earum perstigiosis remedijs conualescant excommunicatione sunt irriti.

5 Qui temere, & ex contemptu arma prohibita intus Ecclesiam inferunt, vel abscondunt, aut Sclopum ibidem explodunt sunt excommunicati.

6 Matres quæ puerulos intrà annum penès se accubantes in lecto retinent, si suffocatio sequatur excommunicationem incurrunt.

7 Domini temporales, ac magistratus cæteræque priuatæ personæ, falsis impedimentis obiectis, vel minis, aut pœnis directè, vel indirectè cogentes, siuè impedientes suos subditos, & alios, quos-

cumque ad matrimonium cum certis personis, contrahendum, vel non contrahendum, Anathematis gladio percutiuntur.

8 Qui matrimonij vsum maleficijs, & Incantationibus impediunt, vel vt his nefarijs artibus impediatur, mandant, consulunt, aut quoque modo adiuuant, vel permittunt, Sathanæ per Anathemata traduntur.

9 Excommunicatione Papæ reseruata afficiuntur occupantes bona Iura, Actiones, & Scripturas publicas, siuè priuatas Ecclesiarum, & Vniuersitatum.

10 Sacrilegi omnes surripientes rem Sacram notabilem, id mandantes, consulentes, permittentes, aut quoquomodo cooperantes, etiam si ruta, & Cæsæ Ecclesiæ, vel alterius pij loci diruti furto sublata sint, dummodo notabilis prætij existant, excommunicatione innodantur.

11 Scientes, & dolosè incidentes arbores fructiferas Ecclesiarum, dummodo damnum materies peccati mortalis sit, excommunicantur.

12 Illicita negotia, vel Banditorum commercia confingentes, & falsò obijcientes nostris Clericis apud Tribunal R. Nuntiaturæ Apostolicæ sunt excommunicati.

13 Violantes verò Ecclesiasticam Immunitatẽ in terminis Const. fel. record. Greg. XIV. Excommunicatione Papæ reseruata innodantur. Neque Regulares in contrarium venire audeant prætextu quorumcumque priuilegiorum facultatum, & indultorum, etiam illius quod mare magnum appellant.

Quandoquidem facultas hęc absoluendi violatores

tores istos Ecclesiasticæ Immunitatis apertè eis adempta est à varijs Summorum Pontif. Constitutionibus.

Qui verò Confessarius ab huiusmodi Casibus, &|Censuris, alijsque sparsim in hac nostra Synodo contentis, ac etiam in Bulla Cœnæ Domini expressis, violatione Clausuræ Monialium, Prouocatione, & pugna Duelli in terminis Sac. Concil. Trid. & Constit. Greg. XIII. Violentarum manuum iniectione in Clericos, vt in *cap. Si quis suadente, &c.* Simonia reali scienter contracta, & confidentia beneficiali Pœnitentes, temerè absoluere auxus fuerit præter alias pœnas, & Confessionum inualiditatem in Excommunicationem Papæ reseruatam incidisse sciat.

De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.
CAP. VI.

POstquam in Iesu Christi Domini vinea laborantes, grauissimum verè pondus diei, hoc est vitæ nostræ cursũ, & peccatorum æstus, taquam aurum in igne probati, in Sacramento Pœnitentiæ deposuimus, meritò eiusdem D. N. spiritali esca vnumquemque refici perneccessarium esse censemus. Illa, inquam, esca salutari, quæ Angelorum cibus est, & omnium Domini mirabilium memoria dicitur. Illa per quam appropinquantem nobis habemus Deum, qui vt nos Diuinitatis suæ participes faceret, ipse homo factus est. Quam de nostro assumptam, nobis Dominus contulit ad salutem, quum in ara Crucis Deo Patri Corpus suum obtulit; & in nostræ redemptionis prętium, Sanguinem

suum

ſuum fudit pretioſiſſimum. Quam ſpiritaliter manducantes vnum Corpus, & vna Caro effecti, Chriſto vniuntur. Hoc illud fermentum, quod in farinæ ſatis tribus abſconditum, totam maſſam fermentat. Hoc prętioſiſſimum, & ſuaue conuiuium, in quo non carnes vitulorum, & hircorum, ſed nobis Chriſtus ſumendus proponitur verus Deus.

Hoc Paſſionis Dominicæ memoriale perenne, & Supremæ Cenæ ineffabile Sacramentum quum duodenæ Turbæ ſuis manibus ſeipſum dedit in cibum. Quali igitur reuerentia, ac veneratione hoc Sacrum Conuiuium dignum ſit; quique ad ſpiritalem eſcam inuitandi, quique expellendi ſint, breuiter, vt ſequitur explicabimus.

Sanctiſſimi huius Sacramenti materiam panem triticeum, & vinum ex vite tantum eſſe non ambigitur. Hoc tamen vnum Hoſtias nempè, non à mulieribus, ſed à Sacriſta, vel Clericis ſingulis Hebdomadis diligenter conficiendas commonere non prætermittimus. Formam etiam ab vnoquoque Sacerdote minimè ignorari, illamque in vtraque ſpecie nullatenus immutari poſſe certè credendum proponimus. Proindè Parochi potiſſimum erit ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus, qui intrà ſuæ Parochiæ fines continentur Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum prouidè miniſtrare. In minoribus qui ætatis ſuæ decimum annum attingerint vſum rationis potiùs quam ętatem erunt inſpecturi; illos tamen nonniſi in Chriſtianę fidei neceſſarijs eruditos, ac de Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti excellentia eſſentia, & effectu diligenter inſtructos ad Sacram Communionem admittant; poſt duodecimum tamen ætatis annum

num minores omnes sub lethalis culpæ incursu compelli debere Parochi animaduertant.

Ne tamen nonnullorum tergiuersationibus decipiantur in qualibet Quadragesima ipsi, vel eorum Substituti singula Parochianorum suorum nomina ostiatim describant: in Paschate verò singulis Sacra Communione refectis illicò consignari curent schedulam aliquo sigillo signatam, quam ab omnibus post Octauam sibi restitui faciant; & tunc quos omnes præceptum Communionis non adimpleuisse compererint nobis, vel generali nostro Vicario ab ipsis Parochis denunciandos esse mandamus; qui totidem librarum Ceræ quinquaginta pœnas erunt soluturi quotiès huiusmodi præcepti transgressores infrà dictum tempus denunciare neglexerint.

Eosdem insuper sic desides, & spiritualis salutis suæ immemores post Dominicam in albis nobis inconsultis amplius ad Sacram Communionem admitti non posse mandamus: quemcumque enim semèl, atque iterum in huiusmodi improperium recidisse viderimus, vti grauissimis pœnis obnoxium illum acriter crimus damnaturi. *Congr. Conc. 3. an. 1587*

Huiusmodi præceptum in propria Parocchiali Ecclesia, & non alibi ab omnibus incolis Parochianis adimpleri debere statuimus; adeò vt quicumque Sæcularium, qui in Ecclesijs, vel Oratorijs Regularium Sanctissima Communione refectus fuerit ne quidem præcepto satisfeciisse, & suppleuisse declaramus. Qui autem dolo, siuè casu durante Paschali tempore à propria Parochia abfuerit; etiam si postmodum reuersus ex fide alicuius Parochi alibi satisfeciisse testetur; si infrà quindecim dies in *Sac. Cõgreg. Cõcilij 20. Maij 1624.*

pro-

propria Parochia obedientiam præstare neglexerit nobis, vel nostræ Curiæ pariter à proprio Parocho denunciabitur.

Sacerdotes omnes, & Clerici cuiusuis Dignitatis, & gradus existant fer. V. in Cœna Domini in nostra Cathedrali Ecclesia è manibus nostris, per Diœcesim verò, à cuiusque loci Paroco ad cæremonialis formam Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum religiosè erunt recepturi.

Parochis summoperè in Domino commendamus, pariterq; iniungimus, ne Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento ij, qui Paschali tempore durante in Carceribus detinentur intrusi minùs religiosè defraudentur. In reliquo verò anni tempore, vt vtriusque Sexus Christi fideles non modo in Natiuitatis, Epiphaniæ, Penthecostes, & Corporis Christi solemnitatibus in tribus potissimis Beatissimæ Mariæ Virginis festiuitatibus, sed frequentius cum decenti interpolatione, hoc prætiosissimo cibo reficiantur Parochorum eorumdem diligentia, vt supra diximus, ac monitionibus efficietur.

Sess. 22. de Sacrificio Missæ.

Illud præcipuè cunctis insinuare non prætermittimus; Sacerdotes in hoc Sacro Conuiuio non hominum, sed Christi Domini ministerio fungi; conuiuantes non in proprijs domibus, ac cibis, sed ad cælestem mensam inuitari. Propterea quæ in ministrantibus puritas, quæ in ministrando Sedulitas, quæuè in recipientibus dispositio requiratur ex ipsa rei excellentia facillimè arguitur. Quos itaque Parochi huiusmodi Mensa dignos cognouerint omni religione, ac pietate recipiant; Excommunicatos verò Vsurarios, & Concubinarios publicos, Blasphemos, & notoriè criminosos, nec non con-

coniuges, qui absque Causa insimul cohabitare renuerint cuiuscumque gradus, ac conditionis existant omnesque alios, quos scandalosos, & indignos iudicauerint expellant, & increpando proijciant; ne Agnum à Lupo deuorari contingat.

Feria V. in Cœna Domini, & quotiescumque prò Communione generali, vel aliàs numerosa plures Particulæ erunt consecrandæ illæ non super Corporale, sed in Pixide, vel Calice collocentur.

Rectores insuper cohortando monemus, ne quispiam suæ Parochiæ infirmus absque Sanctissimo Viatico ex hac vita decedat, quod si secùs eorum culpa euenerit pœnam Suspensionis ipso facto incurrisse sciant.

Vt igitur maiori qua poterit veneratione ad ægrotantem deferatur; consuetum Campanæ signum, nec non puerum aliquem cum tintinnabulo per Parochiæ vicos, remittere, & cunctos ciere Parochus studebit; vt quem militia cœlestis exercitus collaudare non desinunt, hic in terris venerantes adoremus; à Parocho detecto Capite Pluuial. albo induto sub Vmbella, cuius Astas quatuor deferent, Sacram Pixidem humerali velo pariter albi coloris contectam deferendam esse monemus; Luminum, ac Intorticiorum Copia prò loci qualitate non desit; neue ventorum flatu, vel pluuijs extinguantur lanternas aliquas deferendas esse mandamus.

Campanæ sonitu audito omnes de Parochia ad Ecclesiam conueniant, omnium Principem comitaturi; ij præsertim, qui in Societate Corporis Christi per singulas matrices erecta, vel erigenda descripti sunt, qui eleemosinas prò Ceræ, & Olei

impensis ad Societatis præscriptum mensibus singulis erunt pariter largituri.

Laicos deuotionis affectu, Ecclesiasticos verò, obedientiæ præcepto, & semper cum cottis accursim iri decernimus; arbitrarijs pœnis inobedientem, quemlibet proindè damnando.

Campanulam præire cum Vexillo Ecclesiasticos, & Intorticia deferri Parochus efficiat. Parochum cum comitantibus alternatim Psalmos iter faciendo recitare debere probatus indicat ritus. Equitantes protinùs ex Equis prosilituros, & occurrentes omnes in vijs genuflexuros, & donec pertransierit Dominum Redemptorem adoraturos esse præcepta coercent. Ecclesiasticis mandantes, reliquos verò hortantes, vt ni necessitas legitima impediat eundem Dominum Redemptorem comitari non dedignentur.

Quæ autem in infirmi domo præparanda, ac peragenda sint, & quomodo Sanctissimum Viaticum ministrandum in approbato Rit. Rom. latiùs habetur.

Ad Infirmos tantùm in mortis periculo constitutos regulariter deferri posse mandamus. Is vero qui diuturnis infirmitatibus afficiuntur, etiam mortis periculo non existente deuotionis causa à Parochis non denegetur. Ad Excommunicatos, Vsurarios, Concubinarios, ac Blasphemos publicos, ni prius Sacramentalem Confessionem præmiserint, & partibus restituendo publica scandala restaurauerint, nec ad illos per Sæcularem Curiam vltimo supplicio damnatos nullo pacto deferatur. Cum amentibus, seu phreneticis, & ijs qui ex vi morbi sorbere, vel deglutire nequeunt Rit.

Rom.

Rom. normam consulere, & obseruare Parochi non prætermittant.

Si verò ad Sacerdotem infirmum erit deferendum Vmbellæ hastas Præsbyteri portare non erubescant. Iuxta Cleri numerositatem.

De nocte nonnisi mortis periculo instante nulla latenus deferatur. Quum in Villis extra Oppida deferendum erit; tot particulæ consecratæ, quot erunt infirmi, & non plures deferantur, vt Communione peracta, qui Comitati fuerant dimittãtur, & licentientur.

Quotiès tamen ad Ecclesiam; Processio reproducitur, Parochus adstantem Populum cum Sanctissimo Sacramento ex Altari benedicat, publicatis etiam indulgentijs, quibus aliam dierum quadraginta nos pariter adiungimus.

In matrice Ecclesia cuiusque Parochiæ adsit Tabernaculum saltem ligneum deauratum, & decenter constructum, in cuius summitate parua sit Crux, & in eius medio receptaculum intus saltim serico rubei, vel albi coloris contectum, cuius ostiolum firmatera, & claue deaurata custodiatur, tantæque altitudinis, vt è scabello Altaris suppedaneo aperiri, & claudi commodè valeat.

Huiusmodi Tabernaculum Conopęo sericeo, coloris diei illius officio conuenientis, operiri, & Vmbellam materieis decentis desupèr apponi maximum decet, & præcepto firmamus.

Duæ saltim Pyxides ex argento deaurato, in quarum altera Sanctissima Maior Hostia; in altera verò particulæ consecratæ seruentur, in singulis Parochijs habeantur, & eæ auriphigiato velo contectæ intus Tabernaculum super Corporale ibi-

dem complanatum omni studio custodiantur.

Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, vt in qualibet fer. v. renouetur Parochorum vigilantiæ committimus, si enim eorum negligentia Sanctissimas Hostias corrumpi contigerit, pœnis iuxta Criminis grauitatem seueriter mulctabuntur. Prouet Sacristas, qui Lampadem antè Tabernaculum iugiter ardere non curauerint, non leuiori iudicio puniemus.

Venerationem, ac reuerentiam in Ecclesijs seruandam alias explicuimus, vt in Conc. Trid. sess. 23. cap. 6. Adstantes igitur, vel transeuntes, illud Tabernaculum veri Dei esse meminerint.

In Ecclesijs non Parochialibus absque S. Sedis Apostolicæ Indulto Sanctissimæ Eucharistiæ asseruationem, & illius expositionem, etiam prò quadraginta horarum adoratione, aliauè quauis causa prohibitam esse significamus.

De Quadraginta Horarum expositione.

§. I.

PRò Quadraginta Horarum adoratione locus aliquis qua maiori poterit solemnitate, & ornatu omni diligentia præparetur. Sanctissima Hostia in Ostensorio, quod in singulis Parochialibus haberi debet, & non alibi prò adoratione collocetur. Luminaria non minus duodecim ex Cera alba ibidem accendantur, & assidùò resplendeant; & Sacerdotes, ac Clerici ex Clero bini assistentes coram Sanctissimo Sacramento alternatim adorent; in locis tamen vbi adeò exiguus Cleri numerus erit Sacerdotum vices Societatis Confratres, vel

no-

nobiliores humiliter persuppleant.

Præter Palmarum, & primam Aduentus Dominicam absq; nostra in scriptis licentia in nullis Ecclesijs, & Parochialibus exponi posse constituimus. In Solemnitate Corporis Christi, & infrà: eiusdem Octauam super Altare maius, dum Diuinæ persoluuntur Laudes; etiam in Vesperis exponi, ac iuxtà loci qualitatem, & probatum vsum Processionaliter per Vicos, seù per Ecclesiam deferri posse decernimus; infrà quod tempus ad controuersias, ac iurgia prò præcedentiæ Iuribus tollendas Baldacchini hastas ab Ecclesiasticis tantùm substinendas esse præcipimus.

Vt autem solemnitate qua maxima; hæc dies celebretur Ecclesiastici omnes, & cuiusuis Societatis Confratres in Cathedrali Ecclesia diluculo conuenire, & solemni primæ Processioni cum eorum Cruce, ac vestibus Ordini, vel Societati conuenientibus interesse debere recordentur. Inobedientes enim pecuniarijs, vel Ecclesiasticis pœnis ad nostri libitum strictè erimus damnaturi.

Quo ordine, quauè reuerentia procedendum erit, qualiter vias expurgari, & exornari deceat, & in reliquis huiusmodi solemnitati congruentibus, è Cæremoniarum Magistri nutu, quilibet, siuè Ecclesiasticus, siuè Secularis pendeat.

Thesauro Indulgentiarum à Summis Pontificibus tantæ solemnitati interessentibus clargito nullus fidelium abutatur. Quisquis igitur Indulgentias lucraturus conscientiam suam Sacramentali Confessione expiare, & peccatorum obijcem remouere non prætermittat; eique aliam dierum quadraginta Indulgentiam nos indulgemus.

Re-

Religiosum, ac probatum Societatum, & Parochialium ritum, vt in tertia Dominica cuiusuis mensis post Conuentualem Missam Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum processionaliter per Ecclesiam circumgestetur piè commendamus, & sine intermissione frequentandum esse monemus.

Feria V. in Cæna Domini nullatenus in Ostensorio, sed in Calice in aliqua Capsula, in Sepulchro, quantum loci conditio suppetit, ornato decentiùs collocetur; & tunc non minori Solemnitate, & Cleri, & Laicorum assistentia, & veneratione etiam in nocte venerandum, & custodiendum fore statuimus.

De Celebratione Missarum.

§. II.

QVa religione, ac deuotione Sacrosanctam illam actionem, in qua Sacrificium prætij nostri Corpus scilicet, & Sanguis Christi veracitèr efficitur, Sacerdotes peragere debeant, hisce Bernardi verbis habetur. Super omnia te mihi reddidit amabilem, ò bone Iesu Calix, quem bibisti, opus redemptionis nostræ: hoc, & deuotionem nostram facilius allicit, dulcius vnit, & fortiùs stringit.

Nullus itaque Sacerdos, qui se conscientiæ læthalis culpæ inquinatum senserit, ad huiusmodi Sacrosanctum Mysterium peragendum accedere præsumat; secus enim iudicium sibi manducat, & bibit.

Matutinas saltem horas ante Missam recitare, & pias præces, & orationes præmittere probato Ecclesiæ

cleſiæ ritu, & tantæ rei Myſterio religiosè adducimur; quo circà in vnaquaque Sacriſtia genuflexorium ad pedes Imaginis Ieſu Chriſti Crucifixi, & Tabella cum Orationibus ante, & poſt Miſſam recitandis per Sacriſtam captanda eſſe præcipimus.

Dum Sacerdos ſacrum facturus in Sacrario Sacris veſtibus induitur, orationes cuilibet indumento præſcriptas recitare non prætermittat, immò tum ipſe, tum cæteri miniſtri adſtantes confabulare non præſumant; ne ipſius, & aliorum deuotio turbetur.

Lauacrum cum aqua prò manuum lotione, & Mappam mundam in aliquo Sacriſtiæ remoto angulo iugiter conſeruari ſtatuimus, vt poſtquam Sacerdos cordis maculas expiauerit, manuum ſordes in tantæ rei tractandæ reuerentiam, paritèr expurgare non negligat.

Laceris, aut ſordidis Indumentis prò Miſſæ Sacrificio ſine Capitalis peccati incurſu neminem Sacerdotem indui poſſe Sacri indicant Ritus. Si igitur in noſtra Viſitatione indumenta ab ijſdem Ritibus improbata alicubi reperiemus, Sacriſtas, & Parochos, iuxta negligentiæ grauitatem puniemus.

Celebrantes in grauitate deuotionem, & in humilitate religionem, vt cum maximè præſeferant. Non memoritèr, ſed è Romano Miſſali clara voce erunt omnia perlecturi; ſecreta verò talitèr recitabunt, vt adſtantium aures non pertingant; Feſtinationem verò cum mora talitèr componant, vt potiùs ſuo muneri, quam adſtantium voluntati ſatisfacere videantur.

Ritus ac cærémonias adeò percallere vnumquemque neceſſe eſt, vt quotquot huic Diuino Myſterio

sterio necessaria quomodo in defectibus, qui fortasse occurrent se genere debeant, illicò iudicare, & immediatè valeant prouidere. Graue admodum est quod Scriptura dicit. *Maledictus Homo, qui facit opus Dei negligenter.*

Ne tamen improbatus quiuis vsus in nostra Diœcesi quodammodo disseminetur, quicumque nouiter Sacerdotes, ni prius à nostro Cæremoniarum magistro super Sacris ritibus, ac cæremonijs probè instructi ab eodem idoneitatis testimonium gratis inscriptis habuerint, & à nobis paritèr scripto licentiam obtinuerint ad Missæ Celebrationem nequaquam à Parochis admittantur.

Ex Altari paramenta capere solis Episcopis indultum esse sciant, qui aliter facere præsumpserit, vel annulo, siuè bireto absque Sedis Apostolicæ priuilegio vsus fuerit, pœnam arbitrio nostro infligendam incurret.

Sordidam nonnullorum inertiam, qui in Corporalibus pœnitus immundis, siuè discissis Mundi Redemptorem collocare non verecundantur procul hinc tolli, & aboleri mandamus: qui itaque huiusmodi Corporalibus etiam vti non prætermiserit, sex mensium Carceris pœnam irremissibiliter patietur: Proùt eos qui purificatoria quam sæpissimè non lauerint seueriùs condemnabimus.

In Altari omnia necessaria, & præsertim Ara Sacra lapidea, & tres tobaleæ nullo pacto desint, nec minus Iesu Christi Crucifixi Imago, quæ etiam in Altari, vbi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum asseruatur, necessariò esse debet.

Quælibet indumenta, & omnia Altaris ministerio necessaria, præter purificatoria à solis Episcopi

scopis benedici debere omnes animaduertant. Qui ideo huiusmodi benedictionem à Conuentuum Regularium Prioribus, siuè Guardianis, cæterisq; Regularibus scienter, vel ignorantèr obtinuerint, ducatorum viginti quinque pœnam Cathedralis Ecclesiæ fabricæ erit protinùs erogaturus.

Clericus Missæ ministraturus, dum ad Altare Candelas accendet, ibidem Vrceolos cum vino, & aqua, ac tintinnabulum præparare non desinat, ne ipsemet Clericus indecenter hoc, vel illud quærendo, hinc inde per Ecclesiam circumcursare cogatur? Et tunc Sacrista, si eius dolo malo, vel notabili negligentia contigérit prò qualibet vice ducatorum duorum pœna plectetur.

In Missis priuatis nequidem Vicario generali celebrante quatuor Candelas in Altari accendi posse per Sac. Rit. Cong. vetitum est. In Altari vbi Episcopus celebrauit, in illa die absque Episcopi licentia, vel necessitate non vrgente, à nemine inferiori celebrari posse declaratur. 7. Aug. 1627. Cap. in Altari de Eucharistiæ dist. 2. et ibi glos.

Ante auroram, nec post meridiem absque Suspensionis incursu, prætèr læthale crimen Missas celebrari non posse decernimus.

Alterius Diœcesis Sacerdotibus nemini cognitis, qui Ordinariorum suorum commendatitias secum literas non habuerint Missas celebrare nullibi Ecclesiarum etiam Regularium nostræ Diœcesis à nullo Ecclesiæ Rectore permittatur; quique curatus huiusmodi obseruantiam in suis Ecclesijs violare consenserit grauitèr punietur. B. Pius V const. 1566. Con. Trid. sess 23. c. 14.

Sacerdotes, qui nullo Missarum onere adstricti sunt, singulis saltem Dominicis, & solemnioribus festis ad Sanctissimæ Triadis gloriam, Defunctorum

 suf-

suffragium, & populi edificationem deuotè celebrare satis conuenit.

Eodem. Cõc. ibidem. Parochi tamen præter Dominicas, & festos dies omnes, ter in hebdomoda prò populi commodo, & sui muneris debito celebrare non desinant.

Experimento cognouimus in omnibus ferè Diœcesis locis, quolibet Dominico, & festo die ante Missam Conuentualem passìm Missas à Sacerdotibus celebrari, hinc fit, quod in Missæ solemni Parochialis ad quam potissimum confluere debet Populus in vnum collectus sæpè sæpiùs ne quidem vllus interfit; & proindè Parochorum labores in Sermonibus euanescunt Ordinum, ac Matrimoniorum denunciationes frustrà præmittuntur, festi dies, Ieiunia, Indulgentiæ, Monitoriales, excommunicati vitandi, & mille huiusmodi nulli quidem innotescunt: vt igitur huic malo occurramus Sac. Cong. Episcoporum vestigijs inherendo alicubi Missas in Dominicis, & Festis diebus nisi post expletam in Parochiali Conuentualem celebrari prohibemus; Si quis autem etiam in priuatis, vel Societatum Oratorijs ante dictam Missam celebrare præsumpserit ducatorum decem pœnam ipso facto incurrat, & Cappella, seù Altare censeatur interdictum, licentias verò concedendas nobis tantum reseruamus, & forsan datas interdicimus, & reuocamus.

14. Maij 1580.

Dum Missa Conuentualis decantatur alias Missas planas celebrari parum decet; vbi tamen Cleri numerus expostulat, post elevationem de licentia Parochi indulgemus: qui vltrò hoc fecerit non impunis abscedat.

In aurora prò Peregrinis, Viatoribus, Villicis, Vi-

Viduis, & Ægenis vna tantum Missa celebretur; modo ante sobis ortum inchoetur, & Pater Noster, Aue Maria, Credo &c. per Celebrantem recitentur; & denunciationes, aliaque in Missa Conuentuali Populo enuncianda publicentur.

Sacerdotibus omnibus in priuatis Oratorijs absque nostra in scriptis licentia Missas celebrare sub Suspensionis incursu vetamus, atque interdicimus.

Qui domestici, familiares, ac actuales domus seruientes non sunt præcepto de audiendo Missam in Dominicis, ac festis diebus sciant non satisfacere si in similibus priuatis Oratorijs Missam audierint: neuè ignorantiæ prætextu frustrà excusentur, ac decipiantur sedulò id Parochi cunctis explicare non negligant.

Curent Parochi, vt in eorum Ecclesijs Missæ non turmatim, ac omnes insimul, sed honesto interuallo taliter celebrentur, vt in Ecclesijs rectus ordo præfulgeat, & populi commodo nullus quærelæ locus remaneat. Vbi itaque Sacerdotes sunt infrà numerum octo expleta vna inchoetur altera; Si plures octo, tunc post expletum Euangelium vnius, alter Sacerdos Celebraturus exeat, itaùt bini tantum Celebrantes sint: transgresso res pœnis nostro arbitrio puniemus.

In Missarum Celebratione rubricas ad for. Missalis Rom. B. Pij V. iussu editi, ac Clem. ac Vrb. VIII. fel. record. auctoritate recogniti adamussim erunt omnes seruaturi. Illorum verò Missalium vsum, quorum folia in Canone præsertim adeo discissa, ac attrita sunt, vt nonnulli versus desint, ac perlegi nequeant omninò interdicimus, atque prohibemus.

Sac. Cōg. Rit. 23. Maij 1603. In festis diebus, præsente Cadauere passim Missas celebrari prauus vsus inoleuit; ideoque vnam tantum solemnem celebrari posse declaramus; non tamen in Sanctissimæ Resurrectionis Paschate; tunc enim Defunctorum exequies in sequentem diem absoluendas esse declaramus.

In priuatis Oratorijs vbi ex Apostolico priuilegio Missas celebrare indultum est illas ibidem in Natiuitatis, circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, Penthecostes, ac Corporis Christi solemnitatibus, nec in Beatissimæ Virginis Annunciatione, & Assumptione, aut in Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, Omnium Sanctorum, & illius Parochialis loci Patroni, vel Titularij festiuitatibus celebrari posse decernimus, proùt in alijs Cappellis, seù quibusuis Oratorijs seruari mandamus sub pœna Suspensionis.

17. Nouembre 1607.

Prò singulis Missis celebrandis eleemosyna decima vnius aurei pars saltim sit; pro Missis verò decantandis probatus cuiusque Ecclesiæ seruetur vsus; ita tamen, vt omnis turpis quæstus, vel auaritiæ, ac Simoniæ suspicio procul absit: prò Missis ex legato, vel fundatione non minus, quam quinta pars aurei recipiatur. Schedulam proindè in qua descriptum sit, *Elemosina per le Messe*, nullibi apponi, nec retineri posse volumus sub ducatorum viginti pœna ab Ecclesiarum Rectoribus illicò persoluenda.

Missarum celebrationem certo Altari, vel Ecclesiæ à Testatoribus, vel alijs statutam, atque destinatam ad alia Altaria, vel Ecclesias absque nostra in scriptis licentia, quæ non nisi cognita causa concedetur, minimè transferri, ac satisfieri posse de-

cer-

cernimus; prout legata, & noua Missarum onera nostra in scriptis pariter venia non intercedente à nemine Sacerdotum, & Clero recipi, & acceptari posse mandamus. Qui enim Missas, præter Testatoris, vel Fundatoris voluntatem alio transferre, & in alijs Altaribus celebrare ausus fuerit vltrà peccati mortalis incursum, ducatorũ viginti quinque mulcta protinùs afficietur, vti eos noua Missarum onera temere nobis insciis recipientes, acriter erimus damnaturi.

In Ecclesijs vbi prò exiguo Sacerdotum numero Conuentuali Missa quotidie decantari nequit, illam in Aduentu, ac Quadragesima, vbi quatuor ad minus fuerint Præsbyteri saltem decantandam fore mandamus.

Caueant maximè nostræ Diœcesis Præsbyteri, ne Missarum suffragia, quibus purgantes fidelium animæ potissimum iuuantur vltra præscriptum tempus differant, vel, quod absit in totum prætermittant, eorum namque segnitiem, scelestequè facinus venturus Iudex non erit leuiter discussurus; sicque iudicio nostro innotuerit, pœna iuxtà Criminis grauitatem æquè pariter metiemur.

Sacerdos quo circà statim ac Missam celebrauerit, huiusmodi celebrationis diem in quo Missarum onera continentur in Sacristia connoter, ac describat; eundemque librum quolibet quadrimestri Curatus ad nostram Curiam reuidendum transmittat, si secùs euenerit celebrantis segnitiem, & Curati prò libito corripiemus.

Ad Altaris ministerium, quoad fieri poterit, Clerici cum veste Talari, hique cum Superpelliceis mundis, tantùm admittantur; honestos tamen Laicos

eos in Clericorum defectum, & in priuatis Missis non excludimus, sed prorsus mulieres, quas nequidem in Altaris lateribus propè cornu Epistolæ, & Euangelij, dum in eodem Altari celebratur, nullatenus adstare sinant Parochi: sed exindè remoueri curent annuentibus id Clericis, qui mulierum nugas, & quarumuis prauas confabulationes comprimant, Canes expellant, & Excommunicatos notorios, siuè denunciatos, si qui temerè intererint sub Excommunicationis Pontificiæ incursu eijciant, & Celebranti insinuent, vt à Celebratione desistant.

In Cathedrali ritum de hora, quando Missa Conuentualis celebranda sit, vel nunquam incurrisse, vel in desuetudinem abijsse conspeximus; vt igitur corruptela, quæ hactenus inoleuit extirpetur, & Ecclesiasticus Ritus, vt conuenit reuocetur in Aduentus, & Quadragesimæ temporibus post Nonam, in reliquis verò anni temporibus post Tertiam immediatè Missam Conuentualem decantandam esse statuimus sub pœnis arbitrio nostro.

In Ecclesijs, siuè Oratorijs, quæ saltim omnia ad Altaris ornatum, & Diuino Cultui necessaria non habent propria, & in Altaribus in quibus propria Ara lapidea non firmata consistit, & quarum fores firmis clauibus non clauduntur Missarum celebrationem omninò interdicimus. Neuè in Visitatione nonnullorum decipiamur inuentis, & quæ reparatione indigent congruis prouisionibus defraudentur, vnius Altaris quælibet indumenta, aut ornamenta ad aliud minimè accomodari posse vetamus: alioquin vtriusque Altaris Rectoris, ducatorum sex pœnam arbitrio nostro erogandam singuli persoluant.

Vt

Vt ab Ecclesijs, vbi sanctitudo decet, quæuis tumultus, siuè irreuerentiæ tollatur occasio: In Festo Purificationis Beatissimæ Virginis Mariæ, Candelarum distributiones prò functione, & Processione persoluenda, Ecclesiasticis, loci Baronibus, Gubernatoribus, & Vniuersitatum Regimini in Ecclesijs tantùm fiant; Cæteris verò omnibus, non nisi in loco à Presbyterio remoto per Parochum detecto capite gradatim distribuantur.

Pecuniarum summas prò Missarum celebratione relictas super stabilibus ad formam Constitionis B. Pij V. de Censibus per Rectores nostro interueniente assensu quantocius inuestiantur, cum mentione annui Missarum oneris, tam in prima fundatione, quam in futuris forsan alienationibus semper facienda.

Illud potissimum cunctis Sacerdotibus inculcare non desistimus Missarum onera quouis prætextu, vtpotè propter reddituum tenuitatem, vel defectum absque S. Apostolicæ facultate, & indultu à nemine reduci posse; prout in Sac. Cong. Concil. decretis omnibus vetitum est.

Laudabilem nostræ Diœcesis pietatem iamdiù religiosè introductam, vt cuiusuis prædefuncti consacerdotis nostri animam vno Missæ Sacrificio comitari, ac singuli iuuare non desinant, comprobamus; imò sub præcepto in posterum retineri, & conseruari mandamus.

Hoc tandem Sacerdotibus iniungendum esse videtur, vt cordis munditiam externis actibus insimul præseferant, vt morum grauitatem etiam vestibus componant; & proindè nonnisi cum veste, seù tunica talari ad Altaris ministerium accedant;

alio-

alioquin ducatorum duodecim pœnam protinùs incurrant.

Ad Corporis, & Sanguinis Dominici eleuationem in summo sacro Campanæ signum non desinant dare Sacristæ, vel Clerici; vt procul etiam existentes laici ad tantæ rei venerationem sæpiùs inuitentur.

Hæc satis de Sacrificio Missæ; reliqua enim innumerabilia inquiri poterunt in Sum. Pontif. Constit. Sanct. PP. Conc., ac Sac. Congr. Ritibus, ac Decretis.

De Sacramento Ordinis.

CAP. VII.

INternum illud Sacerdotium quo exhibemus corpora nostra Hostiam viuentem, Deo placentem; licet adeò commune sit, vt priscis quoque sub Mosaica lege Patribus conuenire videatur; non proindè quilibet prò Dispensatore ministeriorum Dei protinus habendus erit, sed diuisiones ministrationum adesse conspiciat. Dedit enim Deus quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas, alios Euangelistas, alios autem Pastores, ac Doctores ad consumationem Sanctorum in opus ministerij ad ædificationem Corporis Christi. Hinc est quod Titum Cretæ reliquit Apostolus, vt constitueret per Ciuitates Præsbyteros. Quosdam itaq; Christus Dominus Sacerdotes instituit, quibus sui Corporis potestatem commisit. Veri quidem: dum instituto sui Corporis, & Sanguinis Sacramento; *Hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem*. Mystici verò, dum postquam in Discipulos insufflasset; *Accipite*, inquit, *Spiritum Sanctum, quorum remiseritis*

tis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Meminerit proindè quisque vocationis suæ, quicumque ad sortem Dei vocatus est, videat cuius ministerium sibi traditur. Benè viuendi necessitatem, & non peccandi licentiam sedixerit assecurum. Sacerdos illud Sal Euangelicum esse recordetur, cuius honestæ vitæ exemplis, animi luxus perfricantur; ne in vitiorum putredinem diffluant. Ipsi à Saluatore dictum fuit: *Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum Cœlestem*. Caueat ne eius doctrina desipiat, cuius enim vita despicitur; restat vt eius prædicatio contemnatur. Presbyteros vos ipse quoque Presbyter obsecro, sic pascite, qui in vobis est gregem Christi, vt sitis exemplaria gregis; gregem enim feret præceps si per prærupta vitiorum gradiatur Pastor. Ad huiusmodi onus assumendũ, vt omni studio, ac diligentia seligantur, quæ sequuntur constitutiones decernimus.

Ne igitur Saluatoris illud Oraculum, dicunt, & non faciunt, de nobis quodammodo dici possit; imò potiùs Charismata meliora æmulantes, ipsi prius iustitiæ præcepta adimpleamus, quæ alios edocere studemus; Omnes idcircò promouendi manus nostras, & nostræ Curiæ prò collatione quorumcumque Ordinum ab omni auaritiæ labe erunt primum dignoscituri: ita vt Sac. Canonum Sanctiones, & Sac. Concil. Trid. decreta inuiolabiliter seruantes nihil prorsus nobis præter Candelam vnusquisque promouendus erit oblaturus in Missæ offertorio. Prò testimonialibus verò Ordinum, seù Dimissorialibus ad illos, ac prò Processu matrimo-

nij, nihil amplius, quam in eodem Sac. Conc. Trid. & à Sac. Congr. & nupèr Taxa Innocentiana decretum est, nec à promouendis solui, neque à nostra Curia exigi mandamus. Qui secùs fecerint in Simoniæ crimen, & pœnas aduersus Simoniacos inflictas, protinus se incidisse sciant.

Ad Ordines initiandi, siuè promouendi per mensem ante Ordinationes, desiderium eorum Nobis scriptu propalent, vt de mandato nostro, denunciationibus ad formam Sac. Concil. Trid. in propria cuiusque Parochiali præmissis, à Parochis, siuè ijs, quibus à nobis commissum fuerit attestationes quisq; ad Ordinem ad quem promoueri petit, postmodum recipiat, quas clausas feria quarta ante Sabatum Ordinationum personaliter ad nostram Curiam producat.

Cæterum, vt illi ad Ecclesiam Dei assumantur, quorum mores, & vita digno, probatoque testimonio commendantur; proindè defectus, & Canonica impedimenta, quibus promouendi obnoxij esse possunt inferiùs describere visum fuit.

Defectus, ac præcipua impedimenta Canonica, quæ promouendis opponi possunt.

QVi legitimam ætatem non habet, vel non est liber.

Qui ante legitima tempora accedit, & præter Interstitia.

Qui per Saltum ordinatur.

Simoniacus.

Non Subditus, & sine licentia sui Ordinarij.

Non Baptizzatus, aut Confirmatus.

Il-

Illegitimus, etiam occultus, vel non legitimè dispensatus.

Deformis, vel mancus, aut membris captus, & vitiatus, etiam in partibus, quæ remouentur ab oculis, vel Abstemius.

Energumenus.

Insanus furiosus; Lunaticus, seù qui lucida tantùm habet interualla.

Epilepticus, seù morbo comitiali correptus.

Ignarus, & rudis.

Bigamus, etiam si cum vna tantùm, sed Vidua contraxerit.

Hermaphroditus, cuius virilis sexus non præualet.

Suspectus de Hæresi, aut notoriè Blasphemus, vel Apostata.

Criminosus publicè notus; Homicida, Percussor, Rixosus, Concubinarius, Impudicus.

Vsurarius, Periurus, Ebriosus, vel gulæ deditus.

Inquisitus de Crimine, seù Criminaliter, vt aiunt.

Suspensus, Interdictus, Excommunicatus.

Histrio, Scurra, Circulator, & his similis.

Infamis quacumque de causa.

Miles in Bello certans, vbi neces patratæ sunt.

Obligatus publicis Ratiocinijs, vel ære alieno præssus, siuè Secularibus Curis implicatus.

Qui non sufficiens Beneficium, vel Patrimonium, aut id simulatum, habet, seù pacificè non possidet.

Accusator, Iudex, Notarius, Testis, Aduocatus, Procurator, & quilibet causam capitalem in aliquem dicens, agens, mandans, consulens, permit-

tens, aut quoquo modo adiuuans, vbi reus morte siuè mutilatione punitus sit.

Docet experientia quamplures Clericos, non vt Deo verum famulatum præstent, & eorum mors religiosè coerceant, sed vt à Iurisdictione, & corporalibus contributionibus fraudulenter immunes, laxiorem malè viuendi licentiam adipiscantur, Clericali Tonsura potissimum insigniri. Huiusceemodi prauitatem indignissimè ferentes, hoc vnum firmum, & perseueranter in nobis forè decernimus; initiatos Clericos, quos fontes in quouis crimine iudicauerimus, adeò iuxtà criminis grauitatem à nostra Curia comprimendos, vt nullam in Ecclesiastico Iudicio benignitatem expertos esse, meritò cæteris enuncient; Initiandos verò perpaucos, & tales adfuturos; quorum ætas, vita, ac facultas illius probationibus, & certis conditionibus comprobetur, vt omnis fraudis suspicione semota Ecclesiasticæ militiæ perpetuò, & verè ipsos adscribi verisimiliter innotescat.

Quem vero huiusmodi specimine comprobatum viderimus in hisce omnibus requisitis commendandum fore decernimus, si itaque initiandus is, qui in nostræ Diœcesis ambitu, vel originem traxerit, vel domicilium protrahat; Deque eius Baptismo, Confirmationeque per Parochi fidem, vel testium probationes clarissimè constet; quiq; expleto ætatis suæ septennio non modo de perseuerantia in humanis literis, sed quod suis sumptibus ijsdem, & alijs studijs in posterum nauare queat à Magistro Scholæ testimonium habeat. Adulti verò si qui vnquam initiabuntur præter præmissa Curiæ Secularis fidem eos nullo vnquam crimine dam-

damnatos fuisse, nec hactenus detineri erunt pariter allaturi. Prædictis tandem omnibus testimonijs commendati fer. quarta ante Sab. 4. temp. cum tunica talari, pallio, pileo, superpelliceo, ac bireto ad residentiæ nostræ locum singuli accedant.

Omnes verò Clericali Tonsura insigniti Ecclesiæ cuius seruitio adscribentur erunt æquè inseruituri, & in decenti habitu, ac tonsura iugiter processuri; alioquin præter pœnas arbitrio nostro infligendas nullo Clericali priuilegio huiusmodi Clericos gaudere declaramus.

Quæ tamen ætas in promouendis ad quatuor minores ordines requiratur certa lege statutum nõ esse comperimus; quo circà ad tres primos post septennium, ad Acoljtatus verò, ordines non nisi post duodecimum ætatis suæ annum quempiam promouendum fore decernimus.

Is insuper qui ad minores ordines vlterius promoueri concupierit, non modo, vita, moribus, & eiusdem in studijs perseuerantia, sed eundem in habitu, ac Tonsura iugiter incessisse, Ecclesiæ, cui deputatus fuit honestè deseruisse, in præcedentibus ordinibus seipsum exercuisse, Doctrinæ Christianæ statutis diebus interfuisse, nec non Confessionem, & Sacram Communionem semel saltem in mense, & in solemnioribus festis frequentasse, tum Parochi, tum ludi magistri testimonialibus fidibus erit validè commendandus.

Studeant diligentèr Parochi, Magistri, alijque omnes, qui fides, aut testimonia quæcumque prò ordinandorum requisitis erunt perhibituri, ita fideliter, & veridicos se gerere, vt pollicitis, vel minis

ad-

adducti, non aliorum mores perperam gerere iudicentur, huiusmodi enim mendaces excommunicationis vinculo protinùs innodamus.

Ad maiores ordines ascensuros, ad Beneficij siuè Patrimonij titulum, quorum fructus siuè annui redditus ad congruam sui substentationem sufficientes sint necessariò erit promouendus; turpe enim est Clericos, non sine Ecclesiastici Ordinis dedecore aliquando mendicare.

Propterea quicumque ad cuiusuis Beneficij perpetui titulum erit promouendus. Nos vel nostram Curiam per publica documenta erit edocturus, Beneficium huiusmodi sibi legitimè collatũ quiete, ac pacificè possidere, illiusque fructus, qui ad decentem sui substentationem sufficiant, annis singulis percipere, ac retinere, qui tamen Beneficia similia non obtinuerit ad Patrimonij titulum, cuius annui redditus, siuè valor ducatorum summam viginti quatuor Regni, saltim pertingant, meritò erit promouendus. Patrimonium verò tale sit, illudque dicatur, quod super tot bonis stabilibus, ac fructiferis constitutum sit, ex quibus liberis, nemini hipothecatis, non obligatis, nec euictioni alicui obnoxijs, & super quibus potiora Iura nemini quæsita sint, nec verisimiliter quæri possint, mentionata summa à quibusuis oneribus, & expensis libera, ac immunis, pacificè annis singulis, & in perpetuum percipiatur.

Præterea, si Patrimonium ex alicuius donationis instrumento constare contigerit, tunc, vt donationis huiusmodi ab omni faudis; ac simulationis vitio purgentur, summopere studendum sit, quandoque enim accidit, illas apparenter, & in fraudem

vt

vt plurimum fieri. Quotiescumque igitur Patrimonium ex donatione consistere visum fuerit, sub excommunicationis incursu à Donatario, & donante medio iure iurando rigorosius exigatur, & interrogentur, num donatio sit vera, vel ficta, & num de stabilibus franchis, nemini venditis, nec obligatis, & sub donantis absoluto dominio existentibus bonis, vel iuribus vera donatio intercesserit. Cæterum tam prò donationibus huiusmodi, quam super quibusuis bonis ex quibus Patrimonium formatur, & constat, vtpotè super annuo illorum valore, duorum omni exceptione maiorum testimonium in scriptis redigatur, & cum donationis, vel emptionis, aut assignationis, siuè cessionis instrumento, vel alio quocumque per nostrum generalem Vicarium recognito, ac eius decreto firmato in nostro Episcopali Archiuio in futuram rei memoriam diligentiùs conseruentur. Qui autem ficto titulo, vel non sufficienti Beneficio, aut Patrimonio Sacros ordines susscipere ausus fuerit, si in susceptо Sacro ordine à quo remaneat, eo ipso suspensus seipsum exercuerit, irregularitatis notam protinùs incurrat.

Nulli insuper Beneficium, ad cuius titulum ipse fuit promotus resignare, tut absque tituli mentione permutare, vel illius annuos fructus alicui obligare; seù hypotechare ex libito licitum esse decernimus. Proùt Patrimonialia bona, ni priùs constito, quod aliundè commodè viuere valeat, nostrum beneplacitum obtinuerit, nulli promoto quocumque modo alienare permissum est.

Contingit sæpè donationes non per paucas Ecclesiasticis personis potissimum fieri sic fraudolentas,

tas, vt non modo in donatarium non translato dominio, sed nequidem vsufructus; res eædem donatæ penès ipsum remanent donantem, & id solummodo insolutionum, & Collectarum Fiscalium fraudem, ac temerariam exemptionem.

Nos autem temeritati huiusmodi prò posse occurrere cupientes, quod sequitur Sac. Congr. Immunitatis decretum hic inseri operæ prætium duximus. Sac. Congreg. Controuer. Iurisdict. Præpositorum censuit Clericos non gaudere exemptione prò bonis ad suscipiendos Sacros Ordinis donatis, & assignatis, donec non fuerint in eisdem Sacris Ordinibus constituti, & Episcopos cognoscere debere super fraudolentis donationibus. Romæ anno 1639. die 18. Septembris. Proindè præsentium vigore statuimus donationes quascunque, & quibusuis Ecclesiasticis personis factas, vel in posterum faciendas, vllis vnquam immunitatibus, nec exemptionibus fruituras, nisi prius per Donatarios exhibitæ à nobis diligentèr recognitæ, & appprobatæ fuerint; si verò infrà mensem illas exhibere neglexerint, & approbationem à nobis, & nostra Curia non obtinuerint, bona omnia in similibus donationibus expressa tanquam non donata habeantur, & prò meris laicalibus reputentur, eaque Collectarum Fiscalium solutionibus absque Censurarum incursu, vt priùs subiacere, & obnoxia foiè declaramus.

Neminem verò qui alicui Ecclesiæ necessarius, vel vtilis non sit ad Ordines promoueri debere ex Sac. Cong. habemus. Vt primum igitur quis ad Subdiaconatus ordinem erit assumendus Sacerdotum omnium eius Parochiæ attestationem produ-

cere,

cere, & exhibere tenebitur, in qua duorum partium eorundem Sacerdotum suffragia, non modo de eius Ecclesiæ necessitate, vel vtilitate testentur, sed de eius vita, moribus, honestate, deque debito Ecclesiæ præstito seruitio ipsum commendent ordinandum, qui susceptorum Ordinum testimoniales, & Parochi circa ætatem, denunciationes, posterioris Ordinis exercitium, & Sacramentorum frequentiam, clausam, & sigillatam attestationem erit pariter producturus.

Omnes idcircò Diœcesis nostræ Dignitates, Canonicos, Archipresbyteros, & Sacerdotes quoscumq; omni studio in Domino commonemus, vt in eorum suffragijs impendendis, nullius odio, vel beneuolentia patiantur adduci, eorum vota nemini pandant memores, qualiter cordium scrutatorem Deum Iudicem erunt habituri.

Ad Diaconatus, & Præsbyteratos Sacros Ordines promouendi certam fidem erunt insuper exhibituri seipsos Beneficium; vel Pensionem, & Patrimonium ad cuius titulum fuit quisque promotus cum fructuum perceptione possedisse, & hactenus possidere.

Ad primam Tonsuram sine Minores Ordines nullus non Tunica, ac Superpelliceo indutus, ac sine bireto promouendus accedat: qui verò ordinandi erunt Subdiaconi cum amictu, alba, cingulo, manipulo, tunicella, ac bireto Diaconi insuper cum stola, & demùm Presbyteri cum planeta Missali, & linteolo proligandis, tergendisque manibus, singuli erunt accessuri. Qui aliter accesserint, per Cæremoniarum Magistrum omninò ab ordinum susceptione arceantur.

Ad minores Ordines promoti, siuè Clericali Tõsura insigniti, singuli eorum munus decenti habitu in Ecclesijs, quibus Deputati fuerunt sedulò exhibituros esse cognoscant ad maiores tamen assumpti horas Canonicas recitare, ac perpetuum cælibatum seruare tenentur.

Cum autem nullibi nostra Diœcesis locorum propter eorum angustiam spiritualium exercitiorum pium opus hactenus introductum fuisse vidissemus, casuum conscientiæ conferentiam vbique frequentandam, & conseruandam esse mandauimus. Quicunque ideò ad minores, siuè ad maiores Ordines erit assumendus, ni cum alijs Canonicis requisitis, ipsum huiusmodi conferentiæ etiam attentè nauasse Parochus testetur, tanquam inobediens expulsus, iniunctis aliàs pœnis coercebitur.

Quiuis nostræ Diœcesis Clericus ad alienam prò Ordinibus suscipiendis dimissus, cum eos susceperit Bullas talium susceptorum Ordinum nostro Cãcellario ostendat, vt in registro Bullarum de tali ordine susceptо constet, contrafacientes pœnis arbitrio nostro punientur.

Cætera verò quæ ad vitam, & Clericorum pertinent honestatem inferiùs in proprio titulo Ecclesiasticus quisque perspè legere, & inuiolabiliter seruare memor sit, religiosorum enim merita, & sontium pœnas peruigili lance erimus discussuri.

De Sacramento Matrimonii.
CAP. VIII.

Gen. 1. MAtrimonium ab initio ad officium tãtùm, tandem ex Dei benignitate infirmis hominibus

minibus ad remedium institutum fuisse habemus. Huiusmodi Sacramentum vnum esse ex septem nouæ legis à Christo Domino institutis ab omnibus credendum est. Cumque duplicem rem Sacram significet; alteram nempè per coniunctionem animorum, qua coniunctio animæ fidelis cum Christo per charitatem, alteram verò per carnalem copulam, qua coniunctio Christi cum Ecclesia per assumptionem humanitatis, significatur meritò quæ ad Matrimonium validè contrahendum requiruntur nonnulla magis hic necesse exprimenda, & Parochis insinuanda esse censuimus, vt qui validè legitimèque contraxerint, & in eo religiosè permanserint prophetæ gratiam consequi mereantur, faciant fructum natiuitatis, benedicatur eis, & multiplicentur nimis.

Primum quidem à Parochis contrahere volentium ætas diligenter examinanda erit, ita vt mares nonnisi post decimumquartum, fœminas verò post duodecimum ætatis annum ad contrahendum admittant: Quos tamen aliquando ante dictam ætatem pubescere contigerit, id solum iudicio nostro decernendum relinquant.

Denunciationes in Ecclesia, vel Ecclesijs nullus Parochus præmittere audeat, ni priùs ipsorum contrahere volentium, vel parentum vtriusque explorato consensu. Si verò alter ex sponsis alius Diœcesis fuerit; tunc absque nostra, vel Vicarij nostri licentia in scriptis recipienda ad denunciationes nullo pacto deueniat. Aliter enim per quatuor menses continuos carceribus mancipabitur.

Trinas Denunciationes, & non pauciores ad Sacr. Concil. Trid. formam inter Missarum solemnia

prò quolibet contrahendo matrimonio faciendas esse declaramus; si tamen illas, vel ipsarum aliquam quandoque remittendam esse casus aliquis expostulauerit, tunc non ex Parochorum libito, sed arbitrio nostro decernendum esse significamus.

Cum denunciationes prò impedimentis detegendis institutæ fuerint, & vt pericula quæ ex clandestinis matrimonijs suboriri possunt penitùs excludantur; ideò nomina contrahere volentium in tribus diebus festiuis non immediatè se inuicem sequentibus, sed per aliquot dierum interualla inter se distantibus in Ecclesia coram populi multitudine proponenda esse statuimus. Quod si post denunciationes bimestre tempus effluxerit, & matrimonium hactenus minimè celebratum fuerit, trinas denunciationes denuò præmittendas, & præmissas tanquam non factas, & inualidas esse declaramus.

Accidit, vt diximus denunciationes iustis ex causis aliquando remitti; quotiescumque igitur illas remittendas fore iudicauerimus studeant Parochi tales sponsos adeò monitos habere, vt postquam matrimonium contraxerint, donec consuetæ denunciationes expletæ fuerint ab inuicem separati permaneant, vt si quod impedimentum inter eosdem extiterit ante matrimonij consumationem detegatur. Præterea si propter conscientiæ exonerationem, honestatis restaurationem, vel prolis susceptæ legitimationem aliquis in mortis articulo constitutus cum propria Concubina contrahere voluerit; tunc dummodo nullum aliud Canonicum impedimentum præter illud denunciationum inter eosdem existat, & mors adeò immineat, vt denunciationum præmittendarum licentiam à nobis ex-

po-

poſci non permiſerit, huiuſmodi matrimonio abſq; vlla licentia quemlibet Parochum aſſiſtere poſſe indulgemus.

Si poſt primam denunciationem aliquod impedimentum quomodocumque, licet inueriſimile, non legitimum, & Sacris Canonibus non conformè ab aliquo etiam malitiosè allatum fuerit, Parochorum protinùs intererit Nos, vel noſtrum generalem Vicarium de impedimento huiuſmodi certiorare, & quouſque ſuper eo reſponſum acceperint à reliquis denunciationibus abſtinendum eſſe decernimus. Vt æquè pariter ipſorum intereſſe declaramus, de impedimentis quæ fortaſſe poſt celebratum, vel conſumatum matrimonium deteguntur, quantocius nos, vel noſtram Curiam edocere.

Accidit quandoque inter diuerſarum Parochiarum viros, ac mulieres, vt plurimum ſponſalia celebrari; in hiſce igitur caſibus in vtraque Parochia denunciationes faciendas eſſe non ignoratur. Quę tamen Canonica impedimenta contrahendum impediant. & contractum diremant, quæuè tantum impediant, ſed contractum matrimonium non dirimant, hic latiùs aſſerere inane eſſet, illa enim ex variis DD. colligere, & meliùs edifcere facillimum eſt; nec abſre caſuum conferentiam in ſingulis Choris diſceptandam eſſe mandauimus. Ne tamen huiuſmodi impedimenta, vel beneuolentia tegantur, vel odio, aut quouis quæſito colore, & minùs verè proponantur; excommunicationis mucrone, tam eos, qui impedimenta ipſis nota non reuelauerint, quam illos qui ea, ex inimicitia, vel alitèr falsò, & fraudulenter attulerint, eo ipſo feriendos eſſe decernimus; proùt ex nunc ipſorum quemlibet

in-

incurriſſe declaramus; nec ab huiuſmodi excommunicatione proprios ſponſos immunes eſſe fatemur.

Nulli Parochorum liceat quoſcumque ſponſos matrimonialiter coniungere, nec ipſis quomodolibet aſſiſtere, niſi priùs tranſmiſſa denunciationum fide à nobis, vel noſtro generali Vicario licentiam obtinuerint. Matrimonijs verò exterorum, etiam ſi ſuorum Ordinariorum de libero ſtatu teſtimoniales obtinuerint, niſi poſt illarum recognitionem, & noſtram, vel generalis Vicarij approbationem, pariterque licentiam, nequaquam aſſiſtere nullus Parochus præſumat. Peregrinos, & ignotos ad matrimonia iniungenda neutiquam admittant, niſi libertatis ſuæ teſtimonia ex his locis attulerint, vbi priùs vixerunt, & licentiam prædictam exhibuerint. Qui ſecus fecerit Suſpenſionis pœnam per annum incidat eo ipſo.

Quotieſcumque matrimonium in aliena Diœceſi celebrandum contigerit; caueant Parochi non modo de libero ſtatu atteſtationes, ſed nequidem denunciationum præmiſſarum fidem nemini accomodare: haſce enim teſtimoniales omnes ad formam Almæ Vrbis Tribunalium, teſtium fide dignorum præuio examine à nobis, vel noſtro Generali Vicario tantum concedendas eſſe, cognoſcant, nec ſecus de alterius coniugis obitu per teſtium depoſitionem erit à nobis inquirendum, ſi quiſpiam alias coniugio copulatus ad ſecundas nuptias cupiat pertranſire.

Eò nonnullorum temeritatem deueniſſe viſum fuit, vt quandoque falſum prætextum confingentes, accerſito Parocho, coram eo contrahere cupien-

pientes, mutuum eorum consensum de contrahendo coniugio, præsentibus testibus pariter doli conscijs exprimunt persæpè. Hisce malis occurrere cupientes, huiusmodi sponsos, testes, & quoscumque auxilium, vel fauorem præstantes ducatorum quinquaginta pœnam quemlibet incursum esse statuimus, & in subsidium excommunicationis.

Matrimonij celebrationem post nostram, vel Generalis Vicarij nostri licentiam in Ecclesia Parochiali ante Altare Maius coram Parocho, & duobus saltim testibus ad Sac. Conc. Trid. præscriptum semper celebrandum esse cunctis innotescere creditur; prout Sacerdotalem benedictionem inter Missæ celebrationem ad Missalis Rom. ritum omnibus sponsis omninò elargiendam esse mandamus. Si quando domi, quod quam rarofiet) matrimonium coram Parocho coniungi posse permiserimus, Sacerdotalem benedictionem ad ritum prædictum in sponsorum Parochiali nusquam prætermittendam esse præcipimus. Si qui verò benedictionem huiusmodi quauis occasione distulerint, ni transitus ad secundas fuerit nuptias, per Parochum opportunis remedijs ad Ius prædictum adimplendum compelli posse fatemur; matrimonij tamen cuiusque celebrationem in certo libro cum sponsorum, & testium nominibus, & cognominibus, quilibet Parochus ad formam in Rit. Rom. descriptam annotare non negligat; negligentiam enim ipsorum arbitrarijs pœnis diligenter coercebimus.

Matrimonij Sacramentum non ponentibus obicem gratiam conferre certum est; caueant proindè Parochi, ne sponsorum quorumcumque matrimo-

nijs

nijs assistant, nisi prius Sacramentali Confessione præmissa Sacra Communione eosdem refectos esse prænouerint. Turpe enim est Redemptoris institutis minùs religiosè abuti.

Vt matrimonium cuius Deus auctor, & copulator est diligentia qua maxima, & circumstantijs perficiatur non immediatè post vltimam denunciationem, sed triduo, saltim elapso, nisi nuptiarum prohibitio imminuerit illud celebrari posse decernimus.

Illud strictè Parochis insinuandum esse videtur, ne ante Sacerdotalem benedictionem non modo cohabitare, sed ne quidem sponsos versari insimul permittant, immò ipsis quamcumque consuetudinem, siuè commercium sub viginti librarum Cerę incursu penitùs interdicant, si quę inter eosdem ante matrimonij celebrationem carnalem copulam interceßisse visum fuerit, nos, vel nostram Curiam Parochi certiorare non negligant; huiusmodi enim incontinentes præter excommunicationis à nobis tantummodo absoluendæ incursum, alijs pœnis personarum, & Criminis qualitate pensata seuerius punientur.

Quod de Sponsorum cohabitatione iam diximus, multo magis intereos, qui ob consanguinitatis, vel affinitatis impedimentum aliquod Apostolica indiget dispensatione inuiolabiliter seruandum esse cognoscant. Si enim ante mandati Apostolici de dispensando exequutionem seipsos carnaliter copulauerint; noua dispensatione cum subsequutæ copulæ expressione indigere, primamque vti subreptitiam, & nullius momenti reijciendam fore significamus.

So-

Solum Parochum, vel alium ab ipso, siuè à Nobis deputandum validè matrimonijs assistere posse indubitanter innotuit; qui enim siuè Secularis, siuè Regularis non deputatus, sed vltrò, temerèque alicui matrimonio assistere auxus fuerit in pœnam arbitrio nostro exigendam incidat eo ipso. Si verò absque testium interuentu, siuè Parochus, siuè quiuis alius cuiquam matrimonio interesse præsumpserit Excommunicationem Sedi Apostolicæ reseruatam protinùs incurrisse decernimus; Et matrimonia huiusmodi quod coram non Parocho, vel absque testium præsentia celebrabuntur inualida, & contra Sacri Concil. Trid. decr. confecta, & ideò coram Parocho, & testibus matrimoniale consensum iterum propalandum esse sentiant.

Si post ratum, vel consumatum matrimonium Canonicum aliquod impedimentum aliquando detectum fuerit; Parochus nobis, vel nostro Vicario Generali illud statim significare non desinat; vt num ab inuicem sint separandi, siuè aliter prouidendum sit, eidem consultè respondere possimus.

Matrimonij libertatem nemini coarctandam esse non latet. Qui ergo libertatem huiusmodi quodammodo impedire, vel aliàs coercere præsumpserit Excommunicationis sententiæ eundem obnoxium fore sancimus. Liberos tamen Parochi commonere non negligant, ne Diuini Præcepti memores parentibus inscijs, nec inuitis, matrimonia inire, aut quicquam rei incoare præsumant, matrimonia tamen sine parentum consensu legitimè inita valida, & non rescindenda esse fatemur.

Si in temporibus in quibus nuptiæ prohibitæ sunt Sponsos matrimonialiter ex nostra permissio-

ne iungi posse constiterit matrimonia quæcunque hisce temporibus priuatim tantùm, non verò solemniter etiam nostra licentia intercedente inienda fore Parochi animaduertant.

Matrimonij separationem quoad torum à nobis, vel nostra Curia tantùm, causa diligenter inspecta, decernendum esse constituimus; coniuges enim vltrò, & quauis occasione à nobis non probata, insimùl cohabitare renuẽtes Excommunicationis vinculo volumus innodari.

Si quem vagum, siuè peregrinum in propria Parochia Parochus commorantem aspexerit, qui mulierem aliquã vxoris loco publicè foueat, de cuius matrimonio non constet, dubitariq; queat, id nobis Parochus insinuare non renuat, vt opportunis remedijs quid agendum sit consulentes, omnem peccandi occasionem protinùs alienemus.

Leuitates, & abusus, qui in ipsam vsque Ecclesiam introierunt, vtpotè profani sonitus, salutationes lasciuæ, & si quæ sunt similes, penitùs ommittantur; eædem enim, & commessationes parum sobriæ si à proprijs Sponsorum ædibus in totum tolli nequeant, saltem ad moderationem Christi fidelibus dignam reducantur, vt hilaritas nuptialis pietate, ac modestia condita, oculis Dei qui cœlestis Sponsus est assiduè commendetur. Sponsorum tandem benedictio sub Vmbella ad id propriè destinata, non autem sub ijs, Redemptoris omnium consecratis, fiat, & qui Parochus permiserit arbitratu nostro condemnabitur.

Ad omnem Poligamiæ suspicionem tollendam, quotiescunq; super alicuius libero statu, vt ex alicuius

cuius exconiugibus obitu cognoscendum erit, id per testium examen coram nobis, vel nostro Generali Vicario ad formam Sac. Cong. S. Officij de Vrbe instructionum diligenter inquirendum erit, & processus exindè formandos, in nostro Archiuio seruandos esse statuimus; Eiusdemque Sac. Cong. litteras Illustrissimo Domino Archiepiscopo Pisauren, & Capuano scriptas hic imprimendas esse curauimus, vt sequitur.

Molt'Illustre, e Reuerendissimo Signore come fratello.

ESsendosi visto per esperienza, che la frequenza del delitto della poligamia proniene dalla facilità con la quale si ammettono, & esaminano i testimonij ancorche non conosciuti senza fargli specificare le circ-stanze necessarie per prouare la libertà di quegli che l'inducono per contrahere matrimonio, fù per ordine della Sacra Congregatione del Santo Offitio non è molto tempo mandata à tutti gl'Ordinarij Copia dell'allegata istruttione à finche se ne seruissero nell'esame di quelli: Ma perche la moltitudine di Poligami denota la poca osseruanza di quella, Sua Beatitudine col parere di questi Eminentissimi miei Signori hà risoluto, che di nuouo si mandi à V. S. & à tutti gl'Ordinarij, acciò sopra tutti l'Interrogatorij contenuti in essa s'interroghino li testimonij, che verranno indotti da contrahenti, e si faccino nelle risposte euacuar bene tutte le cose, che se li domandano con auuertirli, che deponendo il falso saranno seueramente castigati in pena di Galera, & altre pene, e perche l'ignoranza de Notari congiunta all'interesse, e di molto danno in questi affari, ordina la Santità Sua, che i testimonij non si esa-

minano da Notari soli, mà d'auanti V.S. ò suo Vicario à quali perche siano più oculati, & auuertiti, prohibirà pigliar cosa alcuna per simili esami, sotto pena della priuatione dell'officio, & altre pene corporali, ma il tutto si facci gratis etiam quoad scripturam.

In oltre per euitare le fraudi, che si possono commettere V. S. per ordine di questa Sacra Congr. farà precetto à tutti i Curati della sua Diocesi, che quando si haueranno da celebrare matrimonij frà persone forastieri, non faccino le publicationi nelle loro Chiese, senza darne auuiso all'Ordinario di essi forastieri, dal quale, ò dal suo Vicario debbano prima portarne fede autentica, che per il matrimonio che si haurà da contrahere, sono stati esaminati testimonij nel suo Tribunale, li quali prouano lo stato libero de' contrahenti. E per comandamento preciso di N.S. li significo, che non osseruandosi le cose predette, e seguendo perciò il delitto di poligamia, farà la Sac. Congr. de Vescoui resentimento contro i Vescoui, Vicarij, Parochi, e Notari, come quelli che haueranno dato causa ad vn tanto eccesso. Perche dunque non si trascurino gl'ordini, V.S. facci registrare, & affiggere Copia della presente, e dell'istruttione nella Cancellaria, le riponga anco nell'Archiuio per memoria de suoi Successori. Si compiacerà anco V. S. di partecipare tutti li sudetti ordini à suoi Vescoui suffraganei per l'essecutione, & osseruanza di essi, e di dare auuiso della ricenuta. Et il Signore la prosperi sempre, e conserui. Di Roma 30. d'Agosto 1636.

Di V.S. come fratello

Il Cardinal Barberino.

In-

Instructio prò examine illorum testium, qui inducuntur prò controhendis matrimoniis, tam in Curia Eminentissimi, ac Reuerendissimi Domini Cardinalis Vicarii, quam in aliis Curiis cæterorum Ordinariorum.

1 IN Primis, testis moneatur de grauitate iuramenti in hoc præsertim negotio pertimescendi, in quo Diuina simùl, & humana Maiestas læditur ob rei, de qua tractatur importantiam, & grauitatem, & quod imminet pœna triremium, ac fustigationis deponentis falsum.

2 Interrogetur de nomine, & cognomine, Patria, ætate, exercitio, & habitatione.

3 An sit Ciuis, vel exterus, & quatenus sit exterus à quanto tempore est in loco, in quo testis ipse deponit.

4 An ad examen accesserit spontè, vel requisitus. Si dixerit accessisse spontè à nemine requisitus. Interrogetur an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes, & si respondèrit negatiuè: testis dimittatur, quia præsumitur mendax. Si verò dixerit accessisse requisitus.

5 Interrogetur an sibi prò dicto testimonio ferendo fuerit aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum à contrahere volentibus, vel ab alio ipsorum nomine.

6 Interrogetur an cognoscat ipsos contrahere volentes, & à quanto tempore in quo loco, & qua occasione cuius qualitatis, vel conditionis existant.

Si

Si responderit negatiuè, testis admittatur; si verò affirmatiuè

Interrogetur an contrahere volentes sint Ciues, vel exteri. Si responderit esse exteros, supersedeatur licentia contrahendi, donec per literas Ordinarij ipsorum contrahere volẽtium doceatur de eorũ libero statu, de eo tẽpore quo permanserunt in sua Ciuitate, vel Diœcesi. Ad probandum verò eorum contrahere volentium statum liberum prò reliquo temporis spatio, scilicet vsque ad tempus, quo volunt contrahere, admittantur testes idonei, qui legitimè, & congruenter deponant statum liberum contrahere volentium, & reddant sufficientem rationem Causæ scientiæ absque eo quod teneantur deferre attestationes Ordinariorum locorum, in quibus contrahere volentes moram traxerunt.

Si verò responderint contrahere volentes esse Ciues.

8 Interrogetur sub qua Parochia hactenus contrahere volentes habitarunt, vel habitant de præsenti.

9 An ipse testis sciat aliquem ex prædictis contrahere volentibus quandoque habuisse vxorem, vel maritum.

Si responderint affirmatiuè non procedat ad licentiam, nisi producantur authenticæ, & legales attestationes, vel testes fide digni, & verisimilitèr informati de obitu coniugis defuncti.

Si verò testes responderint non habuisse vxorem, vel maritum.

10 Interrogetur de causa scientiæ, & an sit possibile quod aliquis ex illis habuerit vxorem, vel maritum, quod ipse testis nesciat.

Si

Si responderit affirmatiuè, supersedeatur, nisi ex alijs testibus probetur concludenter non habuisse vxorem, vel maritum.

11 Interrogetur de causa scientiæ ex qua deindè Iudex colligere potest an testi sit danda fides.

Si responderit contrahere volentes habuisse vxorem, vel maritum sed esse mortuos.

12 Interrogetur de loco, & tempore, quo sunt mortui, & quomodo ipse testis sciat fuisse coniuges, & nunc esse mortuos, & si respondeat fuisse mortuos in aliquo Hospitali, vel vidisse sepeliri in certa Ecclesia, vel occasione militiæ sepultos fuisse à militibus non detur licentia contrahendi, nisi prius recepto testimonio authentico à Rectore Hospitalis in quo prædicti decesserunt, vel à Rectore Ecclesiæ, in quo humata fuerunt eorum cadauera; vel si fieri potest à Duce illius cohortis, in qua descriptus erat miles; Si tamen huiusmodi testimonia habere non possunt. Sac. Congregatio non intendit excludere alias probationes, quæ de iure communi possunt admitti, dummodo sint legitimæ, & sufficientes.

13 Interrogetur an post mortem dicti coniugis defuncti aliquis ex prædictis contrahere volentibus transierit ad secunda vota; si responderit negatiuè.

14 Interrogetur an esse possit, quod aliquis ex illis transiuerit ad secunda vota absque eo quod ipse testis sciat.

Si responderit affirmatiuè supersedeatur licentia donec producantur testes per quos negatiua coarctetur concludenter; si verò negatiuè.

In-

15 Interrogetur de causa scientiæ, qua perpensa Iudex poterit iudicare, an sit concedenda licentia, vel ne.

Si verò sunt vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant per fides ordinariorum suorum esse liberos, & in ipsis seruata forma Conc. Trid. c. penul. sess. 24.

Fides, aliaque documenta, quæ producuntur de partibus sint munita sigillo, & legalitate Episcopi Ordinarij, & recognita saltem per testes, qui habeant notam manum, vel sigillum.

Prò testibus in hac materia recipiantur potiùs consanguinei, quam extranei, quia præsumuntur melius informati, & Ciues potiùs quam exteri, non admittantur homines vagi, & milites, nisi data causa, & maturo consilio. Notarius exactè describat personam testis, quem si cognoscat, vtatur clausula, *mihi benè cognitus*, sin minus, examen non recipiatur, & testis, alius compareat cognitus Notario, qui attestetur de nomine, & cognomine ipsius testis, necnon de notitia eiusdem ad testimonium ferendum. Et huiusmodi examinibus debet interesse in Vrbe, vltra Notarium Officialis specialiter deputatus ab Eminentissimo Vicario, & extrà Vrbem Vicarius Episcopi, vel alia persona insignis, & idonea ab Episcopo specialiter deputanda; aliàs punietur Notarius arbitrio Sac. Congregationis, & Ordinarius non permittat fieri publicationes.

Ordinarij præcipiant omnibus, & singulis Parochis in eorum Diœcesibus existentibus nè pro matrimonijs cum exteris contrahendis faciant publicationes in eorum Ecclesijs, nisi Certiorato Ordinario, à quo, vel eius Vicario generali teneantur

au-

authenticam fidem reproducere, quod prò tali matrimonio fuerunt examinati testes in eorum tribunali, qui probent statum eorum contrahere volentium.

Contrauenientes autem seuerè puniantur. Huiusmodi Instructionem in nostræ Curiæ Cancellaria inuiolabiliter seruandam, ac in Archinio perpetuò seruandam esse sancimus. Qui Parochi, vel Notarij aliter attentare præsumpserint præter à Sac. Cong. inflictas pœnas, alijs arbitrio nostro acriter damnabuntur.

De Extremæ Vnctionis Sacramento.
CAP. IX.

QVos prætiosissimo Sanguine Saluator noster moriendo redemit, eos beneficijs singularibus confouere non definit; vt ijs ad Cœlum interdum patescat accessus, quos tanto prætio in ara Crucis comparare non prætermisit, cumque tenebrarum princeps, vitæ nostræ calcaneo, hoc est fini insidiari, vt cum maximè soleat, nouissimum remedium, scilicet Vnctionis Sacramentum, instituit; vt hoc oleo fideles perūcti tanquam pugiles cum serpente altercantes, illius tandem consequantur victoriam, cuius dum viuerent certamen inierunt. Sacram igitur Vnctionem, ad infirmum, & eorum qui ad vitæ exitum vergunt præsidium in Christo Domino traditam esse, & eius iussu ab Apostolis primum exercitam fuisse nostri Parochi edocere meminerint. Hæc dum per fidei orationem adhibetur infirmis, per Diuinæ Virtutis operationem contra Corporis infirmitates, & conscientiæ *Ioan. c. 14.*

terrores, alleuiationem, & hilaritatem titè recipientibus præbet, leuiora peccata tollit, & grauiorum reliquias expurgat. Apostolo testante, & Catholica Ecclesia latiùs edocente.

Huiusmodi Oleum cum alijs Cathecumenorum, & Chrismatis fer. v. in Cæna Domini singulis annis à nobis benedicendum, & a Primicerio in nostra Cathedrali distribuendum, omnes Parochi per Sacerdotem aliquem recipi, & ad eorum Ecclesias, vt decèt perduci non negligant, & ex tunc veteribus combustis nouis tantum vtendum esse fatemur.

Quia verò in nostra Cathedrali præter octo Canonicos, & vnam dignitatem nullus alius adest Ecclesiasticus, itaùt ab alijs locis nostræ Diœcesis Sacerdotes, Diaconos, & Subdiaconos prò tam præclara functione conuocare cogamur; idcircò omnibus, & singulis quos quolibet anno per circulares litteras nostras, vel nostræ Curiæ conuocauerimus monemus quatenus receptis litteris conuocationis cum vestibus albi coloris Sacerdotalibus, seù Diaconalibus, & Subdiaconalibus, proùt cuilibet significatum fuerit fer. v. in Cœna Domini in nostra Cathedrali valdè mane interfit sub pœna ducatorum viginti per quemlibet pij vsibus erogãda.

Huius Sacramenti Ministrum Sacerdotem, & hunc Parochum; vel eius Coadiutorem tantùm esse decernimus. Si quis Sacerdos præter necessitatis casum, vel nostram, aut Parochi licentiam illud ministrare ausus fuerit, pœna sex mensium carceris repentè plectetur.

Infantes non rationis compotes, perpetuoque amentes, & eos qui vltimo supplicio damnati fuerunt,

runt, necnon aliquos qui in damnationis statu perseuerantes fuerint, & nulla verè contritionis elicuerint signa, ab huiusmodi Sacramento per Parochos excludendos fore mandamus: prout ijs qui bellum gerunt, quique in mari cum mortis periculo existunt, & fœminis in partu existentibus denegandum esse declaramus. Nullum verò ex omnibus fidelibus infirmum in probabili mortis periculo existentem, & qui illud recipiendi intentionem habuerit, saltim interpretatiuam, vtpotè qui Christianè vixerit, vel contritionis signa expresserit, hoc sacro Oleo non inunctum ex hac vita commigrare nullus Parochus vsquam sinat; sin aliter negligenter euenerit, pœnas iuxtà culpæ qualitatem non ofcitanter exigemus.

Quamuis Extremæ Vnctionis Sacramentum infirmis morti tantùm proximis adhibendum sit; nihilominùs ad illius plenam gratiam consequendam, vt ab infirmo statim, ac Sanctissimo Viatico refectus fuerit, priusquam ingraueſcente morbo, sensibus destituatur, hoc nouissimum pharmacum deuotè, ac religiosè exigatur, prudentis Parochi partes erunt, & postmodum quandocunque mortis periculum imminere visum fuerit, infirmum licet omninò sensibus carentem sacro Oleo perungere ex libito poterit: ita tamen, vt non multo ante (quod Parochi, vt suo muneri satisfeciſſe videantur, vt plurimum solent) sed cum periculum verisimiliter adesse videbitur omni studio conferatur.

Qua decentia Sacri Olei vasculum ad ægrotantem deferendum sit, quæuè in eiusdem domo præparari debeant; & qualiter dum ægrotantis membra liniuntur, forma cum materia insimùl, & con-

gruenter proferenda, & componenda sint, & quomodo gossipij globulis quælibet pars linita tergenda sit, aliundè ex Rit. Rom., cuius Ritum inuiolabiliter seruari volumus per Parochos colligatur: indecorum enim erit ea quæ frequentius accidunt, & quæ Parochi præcipuum munus sunt non potissimum percallere.

Infirmos Sacro Oleo peruncto summis viribus solari, & cohortari Parochi non negligant, vt à curis; & desiderijs præsentis vitæ expediti ad Spem æternæ Salutis seipsos erigant; Diabolum, & terriculamenta eius alto animo contemnant; in Christi misericordiam sperando confidant, eundemque sic confirmatum, Domino cum Benedictione commendent; imò adstantem populum ad præces prò infirmo in Calce terreni agonis agente deuotè fundendas, hortentur; & donec ex hac vita ægrotantis anima discesserit, tum Parochi, tum Sacerdotum assistentia alternis vicibus non desit, & horis: alioqui Parochus, vel Sacerdos, qui vices suas adimplere neglexerit, vices nostras in eorum negligentia coercenda erit, sedulò experiturus.

Extremæ Vnctionis Sacramentum vbique, & quouis tempore, atque horis ministrari certum est; tempore verò interdicti localis, vel personalis, generalis absque speciali priuilegio illud minimè conferri posse decernimus. Membrorum Sacræ Vnctionis ad eiusdem Rit. formam fiant, & nonnullo ex membris deficiente, pars inungatur proximior; Sacerdotis verò ægrotantis manus exteriùs liniendas esse Parochi recordentur.

Studeant Parochi, alijque omnes, qui ægrotantis animam assistendo commendant; nihil quod

ani-

animarum Saluti inofficiosum sit, commemorare, nec aliquid in moribundi conspectu apparere sinat, quod ipsi dum vixit magis earum, siue offensum fuerit. Creditores proindè ad domos moribundi accedentes, & tàm ipsi, quam eius rebus molestiam inferentes, ipso Iure à credito cadere aliasque pœnas, *vt in Auth. qui domum, C. de sepult. violat.* incurrisse declaramus.

Huiusmodi Sacrum Oleum, vbique Parochialium nostræ Diœcesis in vase argenteo seruandum, & ad infirmos deferri debere mandamus; Si verò virium renuerit tenuitas, illud qualecunque sit nitidum, & ab omni macula purgatum à Parochis seruetur; Sique aliquando ob consecrati Olei deficientiam Oleo communi fœcundari debere contingerit, illud guttatim infundatur, adeoùt quod de communi Oleo non consecrato infunditur à consecrato in maiori parte superetur. In præmissorum obseruantiam Parochi oculos erigant suos; Si enim conniuentes in eorum munere offenderimus eorum sommolentiam fortiori iudicio excitabimus.

Neuè igitur præmissis, alijsque charitatis, religionisque beneficijs ægrotantium vllus vspiam destituatur, domesticorum præcipuas partes esse volumus, cum primum in eorum domibus aliquem in morbum incidisse conspexerint proprio Parocho significare; vt is sic præuentus illicò, & successiuè alternis diebus, aut sæpiùs proùt morbi qualitas expostulauerit infirmantem inuisere non prætermittat; cuicunque propterea, qui tale pietatis opus exercere sategerit, decem dies de vera indulgentia toties impartimur.

Pa-

Parochorum tandem non leue munus erit à sic ægrotantibus sepulturæ electionem diligentèr exquirere; eosque postquam animarum saluti prospexisse cognouerint etiam ad disponendum de suis bonis, ac rebus commonefaciant; ab intestato enim decidentium causæ, grauia iurgia, & sæpissimè odia, ac contentiones inofficiosas vbique parere conspeximus. Testamenta verò ad fauorem Ecclesiarum piarumque causarum hactenus facta, ac in posterum facienda ab ijs qui illa scripserint, vel requisiti intererint infrà mensem Nostræ Episcopali Curiæ sub excommunicationis pœna denuncianda, ac insinuanda esse mandamus.

Vt verò quilibet Parochus in vltimò fere die infirmi luæ Curæ commissi, eius animam salutaribus erudiat monitis, sequenti protextatione vti volumus, & mandamus.

Protesta per li Moribondi.

CRedi (fratello carissimo) fermamente tutti gl'Articoli della Fede Christiana, e ciò che crede insegna, e professa la S. Romana, Cattolica, & Apostolica Chiesa? R. *Credo.*

Maledici, detesti, reprobi, e condanni tutte l'empie heresie, le quali maledice, reproba, detesta, e condanna la nostra S. Madre Chiesa? R. *Reprobo, e condanno.*

Vuoi morire nella fermezza della S. Fede Cattolica come vero, e fedelissimo Christiano? *Voglio.*

Ami di tutto cuore Iddio Benedetto sopra tutte le cose, e desideri grandemente d'amarlo con quell'ardentissimo affetto, col quale è amato, seruito, e riuerito da i Bea-

i Beati del Paradiso ? Amo , e desidero .

Conosci di hauere offesa Sua Diuina Maestà l'Anima tua , & il prossimo tuo più volte malamente ? ℟. *Conosco .*

Ti duoli di tante offese in qualunque modo commesse contro la Suprema Maestà di Dio nostro Signore contro l'Anima tua , e contro il prossimo . ℟. *Mi doglio .*

Ti penti d'essere stato così ingrato al Creatore Redentore , e Signor tuo di tanti liberalissimi beneficij à te conceduti per salute dell'Anima tua ? ℟. *me ne pento .*

Conosci che hai estremo bisogno della misericordia infinita , & gratia d'Iddio , per la remissione , e total perdono di tanti peccati . ℟. *Conosco .*

Speri che Christo Redentore , e Signor nostro ti sarà fauoreuole , acciòche entri in Paradiso , per la sua infinita clemenza , per li meriti della sua acerbissima passione ? ℟. *Spero .*

Speri anco che per l'intercessione della Beatissima Vergine Madre d'Iddio , e vero refugio de Peccatori , e per le preghiere di tutti i Santi , & in particolare del Santo tuo Auuocato , e dell'Angelo tuo Custode arriuerai à godere l'eterna gloria ? ℟. *Spero .*

Sopporti patientemente per amor d'Iddio , e per conformarti di cuore con i patimenti di Giesù Christo crocefisso , e per penitenza de tuoi peccati i dolori , & affanni che sostieni in questa tua infirmità ? ℟. *Sopporto .*

Ti parti volentieri dalle miserie , e molestie di questo infelice mondo per giungere all'allegrezze , e riposi eterni della Santissima Trinità , col mezzo degl'infiniti meriti di Giesù Christo ? ℟. *Mi parto .*

For-

Formulam hanc Christianæ professionis in vltimo vitæ discrimine pronunciandæ nemo Parochorum prætereat; quum de summa rerum agatur in qua (ita disponente Domino) omnibus par pari referetur.

De Exequiis, & Sepulturis.
CAP. X.

EX probata vetustissimaque doctrina, euidenti ratione, ac Scripturarum non paucarum collatione fundata exploratum accepimus, defunctorum fidelium animas, viuorum pietate, & orationibus potissimum iuuari; illorum saltim qui dum viuerent, vt hęc prodesse possent meruerunt, quique, nec sic expiati decesserunt, vt ijs non indigeant, ne talibus criminibus obnoxij, vt pietatis opera, orationes, & similia ijsdem prodesse non queant. Cumque multi ex hac vita decedant à læthalibus quidem criminibus immunes leuioribus tamen alius, alio magis implicatus, talibus tamen quorum nemo æternam damnationem sustinebit; Deus, qui est in omnibus, & erga omnes iustissimus, ac misericors post hanc vitam, temporalibus, & non æternis pœnis tormentorum modum, atque mensuram metitur, & exigit. Hinc est quod non vnico Machabæi facto colligitur sanctum esse prò defunctis orare, ac Sacrificium offerre, vt à peccatis soluantur. Id verò rudes, & saduceis, crassiores homines ignorantes, orationes contemnunt Sacrificia non expetunt, non Iusta atque exequias, prò parentibus, liberis cognatis fidelibusque amicis persoluunt, non aliter sanè,

quam

quam si cum Corporibus simul, & animæ extinguerentur, cum igitur hic modus fuerit semper retentus in Ecclesia Dei, imò etiam ante Redemptoris aduentum apud Iudæos celebris, meritò omnibus, & singulis nostræ Diœcesis Presbyteris Curatis monendo mandamus, vt populum hac de re diligenter, & exactè informent, & doceant, ne fidelium animæ in Christo defunctorum, Suffragijs, Orationum, & Oblationis Christi fraudentur.

Parentum igitur Consanguineorum, & hæredum quorumcumque potissimum interierit legata quæcunque per Defunctum relicta, atque expressa quantocitiùs exequi atque persoluere illa præsertim quæ pietatis naturam, atque officium sapiunt; ne oneribus, quibus Defunctus leuari mandauit hæredes ipsi grauiùs onerentur, si enim post mensis vnius lapsum legata, præsertim pia, & Ecclesijs, & ex pijs causis relicta, hactenus non adimpleta fuisse compertum fuerit; Excommunicationis mucrone eorundem impietatem coercendam esse decernimus.

Vetustissimum morem de pulsandis Campanis, vt mox fidelis quisque ex hac vita discesserit, & commendamus, & vnicuique locorum suum proprium permittimus, ijs enim populorum mentes ad orationes, ac religiosos actus erga Defuncti animam, vt cum maximè excitantur, quæ enim in pietatis, ac religionis præsidium instituta sunt, non modo conseruare, imò ea augere prò viribus contendimus, illas verò post primam noctis ante matutinam sequentis diei horam, nisi Diœcesanus Episcopus obijsset neutiquam pulsari posse præcipimus.

In persoluendis defunctorum exequijs doceatur plebs pium esse prò Defunctis exorare, & eleemosynas in sinu pauperum elargiri, declareturque quibus potissimum modis Dei misericordia prò animabus ambienda sit, ne funebres pompas sumptuosos apparatus, & Missas, gloriæ tantum aucupandæ causa instituentes perdant potiùs mercedem suam. Commessationes propterea, & ebrietates, quibus post exequias quidam indulgent, quasi mortuorum amicorum memoriam vino abluere velint penitùs improbamus, hisce enim Crapulis Deus placandus; magis irritatur.

Immoderatos insuper mulierum clangores, & Consanguineorum improbatos strepitus, atque eius latus in defunctorum domibus, multoque magis per vias, & in Ecclesijs omninò damnamus, atque interdicimus; vtuè à nostra Diœcesi corruptelam huiusmodi prorsus eliminemus, sub suspensionis pœna quibusuis Parochis strictè mandando committimus ne mulieres quascumque, Defunctorum Consanguineas, vel affines defunctum ipsum ad Ecclesias comitari permittant, & eo ipso quod Cantilenas huiusmodi siuè per vias, aut in Ecclesijs audierint exequiarum persolutionem nullo modo incipiant, & ab incepto illico sub eadem pœna desistant. Sacerdotes verò non subsequentes cum Pallio, sed insimul cum Clero præcedentes, cum superpelliceo, & bireto quemlibet, ex proximis suis defunctum ad Ecclesiam comitari debere mandamus.

Parochianorum defunctos, qui sibi dum viuerent, Sepulchrum non elegerint, quiuè proprium de suo, vel suorum Iurepatronatus alicubi non exe-

xerint

xerint in Parochiali Ecclesia condiendos esse decernimus, in qua etiam Alienigenarum, & Peregrinorum Cadauera, ni aliter in vltima voluntate disposuerint, benignè tumulentur.

Quotiescumque defunctum aliquem extrà propriam Parochiam Sepulturam ex testamento, vel per idoneos testes sibi elegisse constiterit proprium Parochum consueta funeris iura sibi legitimè vindicare posse decernimus. Sacerdotes verò huiusmodi Cadauer, nec processionaliter nec alio quouis modo absque proprij Parochi licentia ac interuentu, ad aliam Ecclesiam conducere nullatenus presumant.

Quos verò pauperes adeoque miserabiles esse conspexerint, vt iura funeris satisfacere non valeant, illos gratis etiam expensis Cleri, siuè alicuius Confraternitatis, quoad cereos tantum tumulari debere præcipimus; qui verò ex Clero non legitimè impeditus hisce funeribus interesse renuerit Carolenorum duorum pœna interessentibus distribuenda protinus multetur.

Caueant potissimum Parochi ne cuiusuis priuati, siuè communis crediti licet Ecclesiastici, ac pecuniarij occasione vel prætextu alicui defuncto sepulturam denegent, vel retardent iniquum nãque erit ex Cadaueribus quæritare, quod in illius hæreditarijs bonis legitimo iudicio intentari debetur, qui aliter auxus fuerit in ducatorum duodecim multam incidat eo ipso.

In sepeliendis defunctorum Cadaueribus, hic ordo seruetur, vt is qui naturali morbo diem suum clausit extremum non prius quam post decem horas ab illa in qua nouissimum emisit alitum; qui

verò subitanea, vel violenta morte occubuerit non nisi post horas viginti Ecclesiasticæ sepulturæ demandetur, iuxta verò nec antè solis ortum, nec post illius occasum, nullibi persolui volumus.

Tempore generalis interdicti Ecclesiasticam sepulturam omnibus vetitam esse Parochi omnes sciunt, cum scire debeant, Clerici verò decedentes qui tamen seruauerunt interdictum in cœmeterijs Ecclesiæ sine Campanarum pulsatione cessantibus solemnitatibus omnibus cum silentio tumulari posse Ecclesiastico Iure permissum est. Hæreticos insuper, & Sacro Baptismate non regeneratos, excommunicatos, interdictos, quique in Duello, vel vetitis tornamentis interierint, sibiuè mortem non morbi furore, sed desperato animo conscíuerint Dei, & Sanctorum eius notorios blasphemos publicos Clericorum percussores, vsurarios manifestos, qui malè parta non restituerint, vel de illius restituendis legitimè non cauerint, qui in peccato publico decedentes, nequidem aliqua contritionis signa ediderint eos etiam qui præceptum Sanctissimæ Pœnitentiæ, & de communicando in Sancto Paschate in illo anno minimè adimpleuerint Eccles astica sepultura priuandos, & longè ab Eccles js humi tradendos esse Canonicis Sanctionibus inhærendo mandamus. Constitutionis huiusce transgressores, & Iuris, atque nostris animaduersionibus conteremus, & Cadaueribus huiusmodi dum discerni poterint exhumatis, Ecclesias, siuè Cœmeteria reconcilianda forè Parochi prænoscant.

Dum Defuncti Cadauer ad Ecclesiam perducendum erit Cantor, siuè cæremoniarum magister

Cle-

Clerum ad probati Rit. Rom. præscriptum tum in psallendo tum in incessu componant; itaùt Deo qui cordium scrutator est, & placeant, defunctiq; anima eorum præcibus subleuetur; bini, & bini igitur incedentes caueant ne mentis euagatio, quę ex tumultuaria deambulatione nasci solet fructum orationis intercipiat; audit enim Deus vocem cordis, sine quo sonum oris contemnit, proindè, qui psallunt, & spiritu, & mente psallant.

Diebus Dominicis, ac festis alijs per annum non nisi post Missam Maiorem Defunctorum Cadauera ad Ecclesias inferantur, hiscè verò diebus nisi sint ex maioribus, vnam tantum Missam de Defunctis, præsente corpore celebrari posse pluriès per Sac. Rituum Congreg. resolutum fuit; In Paschatis tamen Resurrectionis die nequaquam, sed in proximæ sequenti, & post magnum Sacrum Mortuorum Corpora inferri, & prò illius Iusta persolui posse decernimus.

Defunctorum Clericorum corpora singula cum sui ordinis indumentis ad Ecclesias inferri debere statuimus. Presbyterorum tamen Cadauera sic Sacerdotalibus vestibus induta Capite versus Altare composito, secus ac reliquorum non Sacerdotum in Ecclesijs exponantur.

Illud magnoperè Parochis, & Sacerdotibus nostræ Diœcesi commendando mandamus, ne legata, & quascunque extremas Defunctorum voluntates vllo modo peruertant, seù immutare præsumant, & proindè Missarum Celebrationes non oscitanter, sed iuxta Testatoris dispositionem certo tempore, quoad fieri poterit fideliter persoluant. Si verò Testamento non condito ex hac vita aliquem de-

decessisse contigerit. Parochi hortentur hæredes, vt aliquam portionem stabilium, siuè mobilium bonorum Animæ taliter defuncti prò Celebratione Missarumapplicent.

Eosdem propterea Sacerdotes, & præsertim RR. Canonicos nostros omnes in Domino petimus, ac monemus, vt erga proprium Episcopum non leuiori pietate, ac religione charitatem, & deuotionem exerceant suam: Illum proindè ægrotantem ijdem, & tres curati alternatim visitare, & ejdem assistere non dedignentur, vt coram ipsis captholicam fidem, præsente Sanctissimo Christi Corpore, denuò profiteatur, de omissis, siuè commissis veniam expetat ijdemque Omnipotenti Deo prò illius Anima humiles effundant præces, & ab eodem Episcopo Iura, & necessitates Ecclesiæ ipsis aperiantur, paternaque monita, proùt Spiritus Sanctus fugererit audiant, atque recipiant, & cum tempus propinquæ mortis aduenerit Extrema Vnctione roboretur, illiusque Anima Domino per prudentiores, ac Seniores religiosos commendetur.

Postquam Episcopus omnium Creatori Spiritum reddiderit pias præces, atque Orationes, & exequias, cæteraque in cæremoniali descripta cunctos persoluturos esse non veretur, eo tamen gratiora censentur beneficia si erga Pastoris animam, quæ fidelium suffragijs expiatur alacriori animo fundantur, vt quod à se dum vixit plaudebant corde, dum dormierit psallendo confirment. Ad huiusmodi funus persoluendum omnes, & quoscunque Ecclesiasticos accessuros, & interfuturos fore decernimus, & qui non legitimè detentus exequijs

quijs huiusmodi interesse renuerint, per Vicarium capitularem acriter puniendum esse decernimus.

Hisce omnibus Episcopi præsente Corpore persolutis in vnaquaque Diœcesis nostræ Parochiali integrum defunctorum officium paritèr cum Missa ab omnibus ex Clero semel saltim decantandum esse statuimus; quilibet verò Sacerdos tribus saltim Missarum Sacrificijs Clerici verò in minoribus constituti semel defunctorum officium cum Vesperis recitando Pastoris animam sedulò confouere non negligant, vt Deus, & Dominus noster prædefuncti Pastoris Animæ requiem largiri, eamdenque Diœcesim de alio prouido nouitèr prouidere dignetur. Singulis insuper annis Anniuersarium diei obitus Prædecessorum Episcoporum nostri, ac Successorum in omnibus maioribus Ecclesijs celebrandum esse præcipimus, vt illorum memoriam Orationibus recolamus, quorum laboribus hùc hactenus potimur.

Quotiescumque aliquem ex Sacerdotibus nostris vitam finiuisse contigerit loci Parochus nobis significare non desinat, vt celebrationem Missæ prò illius Anima à quolibet Consacerdote protinùs exquiramus, cuius exequutionem non leuiori iudicio à Sacristis inquiremus.

Clericorum corpora seiunctim à Laicis masculorum cum fœminis, proùt puerulorum non insimul cum maioribus tumulari debere sat conuenit. Sepulturas item de nouo construere, nec in illis absque nostra, vel Vicarij nostri in scriptis licentia inscriptiones apponere omnibus interdictum est. Defunctorum tandem corpora in pauimento, siuè

æqua-

æquato, siuè ad tumuli formam nullatenus recondere fas est. Si cui verò sepulturæ erectionem ab Ordinario permissum iri contigerit, illam longè ab Altari construendam fore decernimus; Sin secùs ne dum Sepulchrum, sed Altare pariter subiaceat interdicto, Parochos, verò, & si tacitè permittentes acriter puniemus.

Nulli etiam secularium Iudicum defunctorum Cadauera in Ecclesijs delata quauis occasione, vel prætextu absque nostra, vel nostri Generalis Vicarij in scriptis licentia recognoscere, vel exhumare liceat, qui aliter in nostri, & Ecclesiarum contemptum attentare præsumpserit, excommunicationis sententia eo ipso innodatus existat.

SESSIO SECVNDA

De Obseruantia, & Cultu dierum festorum.

CAPVT PRIMVM.

PRæceptum Altissimi est, memento vt diem Sabbati Sanctifices. Huius diei præcellentiam idem Omnipotens in ipso mundi exordio clarissimè demonstrauit; Sex enim diebus vniuersum Orbem, & omnia creauit, quæ in eo continentur, & singulis rebus creatis benedixit; in die verò septimo, quia requieuit ab vniuerso opere quod patrarat benedixit, & sanctificauit illum. Huiusmodi præceptum in tertio Decalogi inuiolabiliter permanet, ex Sabato in Dominicum ratione Christi Dñi Nostri Resurrectionis conuenientiùs mutatum. Vt igitur cuncta quæ à fidelibus sex dierum curriculo operãtur ab Altissimo benedictionem consequi valeant diem septimum nempè Dominicum sanctificare, & ab operibus seruilibus vacando custodire meminerint. Eiusdem cultus rationem induunt festa in honorem Christi Domini, eius Sanctissimæ Matris, ac Sanctorum, quorum Catalogum infrà describimus; vel quia hisce diebus recolitur memoria, quibus Sancti ab omni bono opere in hac vita patrato quieuerunt, coronamque perpetuam meruerunt in Cœlis habere; vel etiam quia ingraueſcente mun-

di culpa eorum recolamus, ac veneremur memoriam, quorum multiplicatis intercessionibus reatuum veniam consequi valeamus.

Cathalogus Festorum obseruandorum de præcepto in hac nostra Diœcesi.

IANVARIVS.
Circumcisio Domini.
Epiphania Domini.
FEBRVARIVS.
Purificatio B. Virginis.
S. Matthiæ Apostoli.
MARTIVS.
S. Ioseph.
Annunciationis B.M.V.
MAIVS.
SS. Philippi, & Iacobi.
Inuentionis S. Crucis.
Die 22. S. Casti M. Titularis, & Patroni.
IVNIVS.
Natiuitas S. Ioannis Baptistæ.
SS. Apostolorum Petri, & Pauli.
IVLIVS.
S. Iacobi Apostoli.
S. Annæ.
AVGVSTVS.
S. Dominici P.P.R.
S. Laurentij.
Assumptionis Beatissimę Virginis.
S. Bartholom. Apostoli.
SEPTEMBER.
Natiuitatis B. Mariæ Virginis.
S. Ianuarij P. P. R.
S. Matthæi.
Dedicatio S. Michaelis Arcangeli.
OTTOBER.
SS. Simonis, & Iudæ.
NOVEMBER.
Omnium Sanctorum.
S. Andreæ Apostoli.
DECEMBER.
Conceptio B. M. V.
S. Thomæ Apostoli.
Natiuitas Domini nostri Iesu Christi.
S. Stephani Prothomartyris.
S. Ioannis Apostoli.
SS. Innocentium.
S. Syluestri P. C.
Titularis Ecclesię in quo libet loco nostræ Diœcesis respectiuè.

Om-

Omnia festa mobilia præcalendari debent in festo Epiphaniæ Domini vna cum anniuersaria die consecrationis Episcopi ad formam Pontificalis per curatum, vel per quem &c. sub pœna arbitrio nostro pijs vsibus infligenda.

Pascha SS. Resurrectionis cum duobus festis sequentibus.	Penthecostes cũ duobus festis sequẽtibus.
Ascensio Domini.	Sanctissimi Corporis Christi.

A quibus vero operibus seruilibus in præcalendaris solemnitatibus, Dominicis, & festis diebus abstinendum sit ab ipso Exod. cap. 20. argumentum sumpsimus.

Nullus igitur dictos festos violare audeat, arando fodiendo, sarriendo, vel quouis modo tellurem excolendo, lapides congerendo, molas frumentarias, seù trabes protrahendo, equos, mulos, aliaque huiusmodi ferreis soleis calceando, vestes, siuè calceos suendo, vel vendendo, oues tondendo, sata, & fruges metendo, & triturando, vindemniando vuas, illasque calcando, & mustum vehendo, oliuas, frumentum, moliendo, aliaque opera laboriosa exercendo, excepta tamen præcipua necessitate in casibus inferiùs declarandis, quam noster Vicarius Generalis, & quibus in quolibet loco commissum fuerit considerantes; licentiam petentibus gratis concedere valeant.

Casus igitur in quibus à Sac. Can. & Sac. Cong. die 12. Martij 1601. opera seruilia permittuntur, sunt.

Pietate suadente
Necessitate vrgente
Publica vtilitate exigente.

Proindè tripliciter pietatem suadere posse declaramus, nimirum. Quum opitulatur ægentibus, Monasterijs, & locis pijs. Quum ad Ecclesiarum opus, lapides, ligna, trabes, calcem, arenamque conuehunt. Quum Ecclesiarum opus iam inceptum, & quod multorum auxilio, modestoque labore perindiget complendum est.

Casus verò vrgentis necessitatis declarantur sequentes: Prò ægrotantibus Pharmacopolæ medicamenta, Pistores panem, & Lanij carnem vendere possunt, secare venam, humano victui quelibet opportuna, & necessaria venalia habere, mulos, & quodlibet iumentum iter facientium tantum calceare permissum est, nec non fornacis calcariæ non in festo die incæptam succensionem prosequi; pauimentum nouum aliàs constratum tundere.

Casus publicæ vtilitatis enumerantur sequentes. Metere, triturare, in area ventilare, fænum, & paleas, conuehere, vindemiare, Oliuas, Castaneas, Glandes colligere, & conducere, molere frumentum, aquæductus pistrinorum effodere, canalesque aptare, fluminum alluuiones reparare, & Pontes reficere.

In præmissis itaque casibus vbi suadet pietas, vrget necessitas, & publica exigit vtilitas caueant prædicti licentiam, vllactenus concedere in Sacris solemnitatibus SS. Natiuitatis, & Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, festo Sanctissimæ Pentecostes, & Corporis Christi. In festis verò circum-

cumcisionis, & Epiphaniæ Domini Sanctissimæ Trinitatis, festis Beatissimæ Virginis, ac Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ, SS. Apostolorum Petri, & Pauli, Omnium Sanctorum, S. Casti, ac titularis, siuè Patroni cuiusuis loci, cum enumerati casus contingerint quilibet prædictorum in suo districto licentiam gratis concedat post meridiem, vel ad minus post decantatam Missam, in prædictis verò, & reliquis festis diebus in quibus, prę uia licentia aliquod opus seruile pia Mater Ecclesia permittit, taliter illud quisque exercere meminerit, vt debitus honor, ac veneratio Deo, & Sanctis eius minus irreuerenter non auferatur, sed illud modestè, & absque scandalo perficietur quicunque igitur aliquid venale publicè exposuerit, aliquo discrimine festos dies secernat, pannum nempè ante Ianuas apponendo, vel illas semipatentes à medietate sursum contineat.

Præter insuper casus prænarratos in quibus præd cti sedulam debent adhibere diligentiam vetitum est Notarijs, Tabellionibus, Actorum Magistris, Cancellarijs, Scribis, & hiscè similibus in quolibet Dominico alioque festo die, quosuis iudiciarios, vel Curiales actus, contractus, Instrumenta, & quaslibet scripturas publicas conficere, siuè stipulare; alioquin vltrà contractuum nullitatem librarum viginti pœnam pijs vsibus erogandam quilibet prò quauis vice incurrat.

Mandata exequutiua à Ciuilibus actionibus prouenientia, nec realiter, nec personaliter in ijsdem diebus exequutioni demandentur; turpe enim erit à forensibus, non quiescere cum Cœlestibus nauandum est.

Lar-

Larvas personas, Comedias, Ciraculatores, Tunabulum, Samnionem, & huiusmodi Scurrilia, etiam baccanalibus tēporibus strictè prohibemus; Quadragesimæ verò, & Aduentus Domini temporibus, Tripudia, Coreæ, & publici ludi prorsus eliminentur; quod enim in Redemptoris exemplum, & Commemorationem colitur obscenis actibus deturpare indecorum est.

Publicas Nundinas iuxtà locorum Consuetudinem permittimus, & indulgemus; dum verò solemnis Sacrificij celebratio peragitur (si tamen propè aliquam Ecclesiam exerceantur) modestiam seruare, & strepitus coercere meminerint.

Tragedias, & Repræsentationes quascunque, etiam spirituales, quousque à Nobis, siuè à nostro Vicario Generali reuideantur, omninò prohibemus.

Enitentur ergo Christi fideles huiusmodi præceptum inuiolabiliter seruare; scientes, quod si quis eius salutis erit immemor, vt illud contemnere, siuè violare non erubuerit, vltrà lethalem eius animæ pœnam, alteram librarum decem ceræ albæ laboratæ prò prima, viginti prò secunda, & triginta prò tertia vice, & transgressione in corporis odium pijs vsibus pœnam eo ipso incursus censeatur; si verò hasce transgressiones vlteriùs protraxerit, itaùt ex multiplicatis actibus fiat habitus vltrà prædictas pœnas alias seueriores experietur.

Parochorum tandem præcipuum erit munus huiusmodi obseruantiam excolere; quod si in festorum sanctificatione, in puniendis transgressoribus, & in nobis citiùs certiorandis conniuentes fuerint,

vin-

vindicem Omnipotentis Dei experientur manum, à nobis verò ad duplum transgressorum punientur.

De Veneratione Ecclesiis exhibenda. CAP. II.

QVod Salomon ille sapientissimus tot operarios eruditosque Artifices prò Templi structura ordinauerit. Inextimabili magnificentia illud extruxerit in eodem Altare æneum auro, gemmisque prætiosissimis ornatum erexerit, ibiq; in holocaustum innumeras Hostias obtulerit, non mirum, cum ipse Dominus in Templo adorandus Dauid Salamonis Patri pronunciauerit; *Filius tuus, qui egredietur de lumbis tuis, ipse ædificabit domum nomini meo*. O' vtinam muri nostrarum Ecclesiarum gemmis ædificarentur! Quoniam & si (vt ipse Salamon de tam Magnifico Templo Domino dixit) Si Cœlum, & Cœli Cœlorum, non te capiunt, quanto magis domus ista, quam ædificaui. Tamen talia sint Diuina Tabernacula, vt non dedignetur omnipotens orationes, & obsecrationes respicere seruorum suorum.

Proindè, quæuis ianuæ, siuè Ecclesiarum, siuè Sacristiæ, Sanctissimi Tabernaculi, Fontis Baptismalis, & Sacrorum Oleorum validis, & firmissimis seris iugiter munitæ custodiantur, quod Parochorum curæ strictè imponimus, & mandamus.

Ecclesiarum parietes intrinsecè saltim singulis annis dealbentur, extrinsecè verò firmi, æquati, ac sine vitio conseruentur.

A Laicorum domibus officinis præsertim, Templa

pla Domini penitùs seiungantur, omne sordidum, & quodlibet inquinamentum, vt lotij, ac huiusmodi eminùs remoueatur, lapidum maceries, Herbarum, Vitium, Hederarum, Veprium, & quarumuis arborum deturpamina à parietibus radicitus extirpentur, & euellantur; illarum tecta ad pluuiam proijciendam sæpissimè reficiantur. Fenestræ talis sint altitudinis, vt nemini conscensus accomodetur, validissimis cancellis muniantur, neuè aues ingrediantur illas vitro, siuè tela alba claudi mandamus.

Templorum atria, ac Cœmeteria non leuiori studio, ac diligentia expolienda, & custodienda esse præcipimus.

Nundinas, Emporia, & venale quodcunq; propè Ecclesias omninò interdicimus; sed adeò procùl exerceantur, vt hominum, siuè pecudum voces Orantium in Templo aures minimè offendant.

Ludos quoscunque siuè Pilæ, & cuiusuis speciei, præsertim dum diuinæ laudes persoluuntur nullatenus Curati propè Ecclesias permittant; cantus obscenos, tripudia, & hominum nugaces confabulationes, ne dum in Ecclesijs, verum, & iuxtà illas, Parochi, seuerè coerceant, si verò aliqui in nostrarum monitionum spretum, & Ecclesiarum irreuerentiam statim moniti non se abstinuerint præter pœnas in Sac. Con. Trid. contentas, aliam arbitrio nostro reseruatam incurrat.

Quæ igitur in exterioribus templorum locis decreuimus, multò magis intus obseruari debere consentaneum est. Sit igitur in singulis pauimentum, vel ex lateribus, vel cæmento æquè stratum, illudque à Clericis, vel ab alijs de more acundari, & purgari sæpiùs, vel saltim semel in heb-

hębdomada curent Sacriſtæ.

Altaria decenter ornentur; illarumque tobaleæ mundæ, & nitidæ apponantur, ac renouentur; Clerici verò illa purgare, & ex eis puluerem excutere qualibet die ad nutum Sacriſtæ debeant, & teneantur.

Eccleſiarũ claues nullo modo Laicis, ſed ſolùm Sacriſtæ ſiuè Clericis, prò loci more, à Parochis committantur. Illarum ianuæ, non niſi cum Horæ Canonicæ, & Diuina perſoluuntur Sacrificia recludi decernimus; poſt ſignum verò Salutationis Angelicæ pulſatum, niſi neceſſitas prò Sacramentis adminiſtrandis exegerit, nullatenus aperiantur.

Ad fidelium animos celeriùs excitandos, communem vſum pulſandi Campanas in cuiuſque Myſterij perſoluendi Signum quiuis locus congruenter ſeruet, & retineat.

Qui verò fidelis Templum Dei, oraturus, vel Sacrificium auditurus, ingreditur, Domum Dei eſſe, quam Sanctitudo decet, ſedulò prænoſcat.

Studeat igitur vnuſquiſque ſui Corporis actus in Domo Dei ita modeſtè, ac reuerenter componere, vt cordis deuotionem, ac humilitatem, ſoli Deo exteriùs accomodet, & præferat.

Quo circà nullus cum armis, nempè Sclopis longioribus, ſiuè breuioribus Eccleſias ingredi, & multò minùs explodere, dum diuina officia perſoluuntur temere audeat, vel præſumat, qui autem monitus huiuſmodi Arma deponere renuerit, in excommunicationis ſententiam eo ipſo incurſus habeatur, & reputetur.

Mulieres velato capite quantum fieri poterit, & à viris segregatas in congruenti Ecclesiæ loco, modestè, ac deuotè seiunctim orantes commorari maximè decet; quo ordine ad Sanctissimam Eucharistiam sumendam, hoc est diuisim à viris accessuras esse, etiam decernimus. In Concionibus verò audiendis non modo seiunctim sedeant, sed si fieri poterit, eleuatis tabulis in scamnis ad huiusmodi officium aptatis, ibidem includantur, & à viris seiungantur.

Infantulos domi relinquant, ne eorum vagitibus vt plurimum Chori psalmodyam Sacrificiorum peractionem, fideliumque deuotionem conturbent, & confundant.

Nullus insuper virorum, seù mulierum Altaribus inhereat, nec brachijs, seù manibus innitatur illis; sed vel rectè, & humiliter compositus stabit, vel cum debuerit, siuè velit vtroque genuflexus orabit.

Procùl insuper à Templo Domini absint seditiones, tumultus, clamores, confabulationes, profanaue colloquia, risus immoderati, deambulationes, & strepitus, & quæcunque alia, quæ Diuinum officium perturbare possunt. Iudiciorum nullus in eis exercearur actus; publica colloquia, seù comitia, contractus, & instrumenta in Ecclesijs non congregentur, nec celebrentur; qui secùs præsumpserint præter pœnas in Const. B. Pij V. quæ incip. *Cum primum inflictas*; alijs seuerioribus arbitrio nostro punientur. Parochi verò qui abusus huiusmodi si qui irrepserint in suis Ecclesijs non emendauerint, & transgressores indè expulsos non mulctauerint, duorum mensium spatio in nostris carceribus

irre-

irremisibiliter macerabuntur.

Clerici tanquam lucernæ super candelabra ceteris norma, & exempla esse debent, animaduertant propterea Constitutionem antedictam, decr. Sacr. Conc. Trid. c. 1. sess. 22. de refor. quod incip. *Quanta*. Et Statuta nostra huiusmodi, ipsimet in Choro, & per Ecclesiã inuiolabiliter conseruare. Contrafacientes enim duplicibus affligentur pœnis, quo maiori scandalo ijdem, domum Dei violando, reliquos Christi fideles affecerint.

Quod de Ecclesiarum veneratione hactenùs statutum fuit, idem extrà Parochias seruandum forè declaramus in Oratorijs, & Cappellis; in quibus bona laicorum, fruges, supellectilia, aliaque huiusmodi, nequaquam introduci, nec recondi posse mandamus; sub ijsdem pœnis, & ammissionis insuper bonorum sic irreuerenter introductorum; quæ ex nunc ijsdem Cappellis abdicimus, & applicamus.

In Choro, siuè Altaris Maioris Presbyterio, & grauitas, & modestia certatim præfulgeant; illa moribus, hæc habitu vtraque silentio, siuè concentu compon[illegible]tur.

Psallentes igitur Clerici Talarem induti habitum, mundum desuper habeant superpelliceum; sin secus decem librarum ceræ albæ pœnam singulis vicibus incurrant.

Tabacci abusum, qui minus irreuerenter, & immoderatè hactenus irrepsit, saltim dum Diuinæ horæ, & Officia persoluuntur sub pœna librarum ceræ albæ decem in Choro vetamus, atq; interdicimus; proùt Chyrothecas, & Calepodia in huiusmodi loco prorsus abesse volumus.

Laicos ne dum Chorum, & Presbyterium, sed ne quidem illorum, aut Sacristiæ ianuas, dum Diuinæ Laudes recitantur, Chori Præfectus nullatenus ingredi, vel occupare permittat, huiusmodi ijsdem locis omninò sub Excommunicationis, eapropter ingressum, aut occupationē latæ sententiæ pœna prohibemus: His tantùm exceptis, qui Musices artem profitentes; cum concinendi necessitas exposcerit, per eūdem Præfectum in Organum, Chorumque congruenter fuerint intromissi.

Ecclesiarum, & Altarium nouas fundationes, & erectiones, tumulorumque Constructiones à Sacr. Can., & B. Pij V. Episcopis reseruatas esse regulariter non ambigitur; qui verò auctoritatem huiusmodi sibi arrogando nouas Ecclesias, Altaria, tumulosque, nobis inconsultis construxerit, vel erexerit; præter pœnas in eisdem Sac. Can. & Constit. expressas, alteram ducatorum quinquaginta pijs locis applicandam eo ipso incurrat.

Altaria tandem sub quorum suppedaneis Scabellis cadauerum, sepulturæ constructæ fuerunt, vel in posterum construentur, donec huiusmodi sepulchra repleta, clausa fuerint interdicta forè, & esse censeantur: prout ex nunc harum serie interdicimus.

Cum igitur, vt præmisimus Templum Dei, & materialiter, & formaliter constructum, atque custoditum fuerit; in Domino confidimus, in illo orantes ab Omnipotenti Deo audire merituros; sicut, & ipse Salamon: *Audiui orationem tuam.* Et paulo infrà: *Oculi quoque mei erunt aperti, & aurès meæ erectæ ad orationem eius, qui in loco isto orauerit.*

De

De Ieiunio, & Quadrageſima. CAP. III.

QVamuis in vnoquoque Eccleſiaſtico inſtituto honeſtatis, & religionis vndique elucęſcat incrementum, illud de Sacris Ieiunijs inſtituendis maximum, atque inſigne potiſſimum emicare conſpicitur, vt Corpus per cibi, ac potus intemperantiam luxurians aridioribus cibis caſtigatum, vegetiori animo laudibus inſiſtat diuinis, diuinæq; voluntati obtemperando in perfectam ſeruitutem redigant: nihil enim aptius ad carnis petulantiam retundendam inſtitui potuiſſet. Huius Ieiunij nempè ſalutari præſidio, tum Moyſis, tum Niuitiarum exemplo, ad diuinam gratiam exorandam, aut diuinæ Iuſtitiæ indignationem liberiùs placandam,, nil commodiùs quidquam potuit ordinari. Horum, & Eliæ non tantum exemplo, ſed Chriſtum Dominum imitantes totius anni Decimam Quadrageſimæ ſanctificatione Apoſtoli exſoluerunt. Ieiunia verò quæ à Caliſto martyre in quatuor anni partes diſcreta ſunt, quaſi quædam noſtri temporis primitiæ offeruntur; ea nimirum obſeruantia, & duodenarius dierum numerus, duodecim menſium numero reſpondeat. Cæteraque Vigiliarum ieiunia, quo puriori mente ad Sacras accedamus ſolemnitates, pariter indicta eſſe fatendum eſt.

Ieiuniorum igitur temerarios profanatores Quadrageſimæ 5. Vigiliarum, & quatuor anni temporum ab Eccleſia indictorum, tanquam Sac. Conc., & Can. violatores, & Eccleſiaſticæ religionis tranſgreſſores Statutis pœnis redarguendos eſſe prudentes Parochi crebrò inſinuare non deſinant.

Proùt

Proùt Parochorum item præcipuum munus esse decernimus, Ieiunia infra hebdomadas occurrentia inter Dominicæ solemne, & auroræ Sacrum denunciare, Populumque de Ecclesiastici Ieiunij instituto, circumstantijs, atque præcepto diligenter instruere, atque ædocere.

Cibos carnium non vti immundos, sed vt luxui temperetur ieiunij diebus, ac fer. vj. & Sabato vetitos esse cognoscant; escarum ideò sic vetitarum publicam venditionem, & ijs, qui nostram, vel Vicarij Generalis nostri scriptam non obtinuerint illis vescendi licentiam, arbitrarijs pœnis omnibus prohibemus, qui verò Paschales cibos vendendi licentiam obtinuerint tabulam, vel pannum aliquem ante fores exponant. Quos verò, aut ætas incuruat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, ante licentiam sic vetita violare non audeant; & donec illam, vt præfertur, habuerint à loci Parocho, necessitate suadente prò triduo tantum obtinebunt. Quorum insuper, ac Lacticinijs quaslibet escas; Quadragesimæ, Quatuor Temporum, ac Vigiliarum diebus fer. vj. & Sabato exceptis, pariter interdictas esse, declarando. Quos verò mandatorum huiusmodi contemptores videbimus, vti hæreticæ labis fœdatos acri animo corrigemus.

Non leviorem parentum curam esse ducimus, adeo eorum liberos abstinentiæ, ac Ieiunijs ab Adolescentia assuefacere, vt in reliquo ipsorum vitæ cursu non Gulæ nec Ventri seruientes, imò multiplicatis ieiunijs absque ciborum luxuria, vitam ipsam transigendo; Medicorum Consilia ad profananda ieiunia non prò quouis languore conquirant; sed potiora animi sequentes instituta, gra-

tiores

tiores cibos hic post abstinentiam gustent, & Corporis dissolutione superueniente, illius gloriam adipiscantur in Cœlis, cuius præcepta seruarunt in terris. Illud præterea Medicis insinuandum esse videtur, ne languentium Gulæ patentibus certent attestationibus indulgere.

Ciborum abstinentiam cum voluptatum, & iniquitatum omnium temperantia necessariò coniungendam esse percipiant; Ieiunia etenim Orationes, & religionis, quælibet opera frustrà ab omnibus insumentur, nisi mens ab iniquitatibus reuocetur, & à prauis obtrectationibus eorum linguis cohibeatur.

Cum itaque dum viuimus, diuinis laudibus nauare, & Ecclesiæ Dei frequenter interesse debeamus ieiuniorum tamen, Quadragesimæ, præsertim temporibus Verbi Dei prædicatione ab omnibus interessendum erit, vt dum per cibi abstinentiam caro à prauis distrahitur concupiscentijs, mens nostra Diuinæ prædicationis pabulo imbuta, à vitijs prorsus, & culpa ieiunet.

Ludos præsertim publicos, Comedias, prophanos strepitus, & similia, dum ieiunatur, ac in toto Quadragesimæ Curriculo in tota nostra Diœcesi vetitos esse volumus; ne mens; quæ Ecclesiasticis instruenda erit disciplinis, ad mundi voluptates sequendas errando declinet.

De Ecclesiastica Immunitate, & Libertate.
CAP. IV.

ECclesiasticæ Immunitatis institutum vetustissimum ex Lateranensi, Toletanoq; Conc.

&

& SS. PP. Conſt. Diuino, humanoque Iure introductum fuiſſe apertè colligitur. Huius immunitatis, atque libertatis priuilegio Eccleſia, nec non pia, atque religioſa loca, & Eccleſiaſticæ perſonæ fruuntur. Experientia enim docuit, vbi Ius Eccleſiaſticum læditur vbi Apoſtolicæ Sedis auctoritas labefactatur, vbi Dei miniſtris debitus honor, & reuerentia non habetur, vbi denique quæ Dei ſunt Deo non redduntur, ibi Regum poteſtatem, regnorum quietem, populorum obedientiam, ac religionis integritatem diù conſiſtere non poſſe. Pharaonem totam terram Ægypti ſibi tributariam feciſſe præter terram Sacerdotum, & poſſeſſiones, quæ à Rege traditæ fuerant eis, quas vendere non fuerunt compulſi, quin potiùs ipſis etiam ſtatuta cibaria ex horreis publicis præbebantur ſcriptura teſtatur. Quid enim boni expectandum, aut quid mali non potiùs pertimeſcendum cum Sac. Can. diſciplina infringitur, cum Eccleſiaſticæ Dignitati, atque auctoritati quoquo modo derogatur.

Cum itaque Paſtoralis nos Cura ſuadeat, vt Eccleſiaſticam Immunitatem, & illius libertatem ad Dei cultum, & Animarum Salutem prò viribus defendendo tueamur; Omnibus idcircò Curatis, cæteriſque Eccleſiarum Rectoribus ſtrictè iniungendo mandamus, vt ſtatim ac ad quamlibet locorum Eccleſiam, Monaſterium, aut alterum Sacrum, religioſumuè locum aliquem criminis reum confugiſſe contigerit; certo nuncio nobis, vel noſtræ Curiæ ſignificare conentur, quouſque verò ſuper confugientem huiuſmodi reſolutum fuerit ſecularis poteſtatis violentam abſtractionem, &

quam

quamlibet læsionem licitis, honestisque medijs impedire non desinant.

Si verò Laicalis potestas delinquentem, dum in Ecclesia existit extrà eam in prophano loco custodire voluerit; id etiam nobis per eosdem Curatos significandum forè decernimus, vt donec à nobis an Ecclesiastica gaudeat Immunitate, declaratum fuerit, etiam super huiusmodi custodia, num licita sit prouidere valeamus.

Confugientes ad Ecclesiam non modo exindè abstrahi non posse, sed nequidem nullam ipsis ibidem violentiam, impedimentum, aut damnum inferri posse, statutum est; quicumque igitur ipsos ligare, aut bonis, quæ iustè possident in Ecclesijs priuare præsumpserint, vti violatæ Immunitatis Ecclesiasticæ obnoxij, præter alias pœnas, Sacrilegium commisisse cognoscant.

Vt igitur ad Domum Dei cuius, in pace locus est, cuius cultus debita cum veneratione debet esse pacificus, humilis sit tantum, & deuotus ingressus: Vtque in illa Deo grata, & inspicientibus sit placita, atque quieta conuersatio, & nomen illud, quod est super omne nomen, ibidem specialis reuerentiæ exhibitione extollatur; in Ecclesijs Cappellis, & Confraternitatum Oratorijs quouis prætextu, seù inueterata Consuetudine pernoctationes, Vigiliasque nocturnas sub interdicti pœna damnamus, atque interdicimus; neuè ad illas præter casus permissos, nemini in posterum quiuis huiusmodi pateat aditus, idcò nec ante Auroram, nec post Salutationis Angelicæ signum Ecclesiarum fores à Sacristis, siuè Clericis recludantur, ne seditionis, ac irreuerentiæ nascatur occasio, vbi

peccatorum est venia postulanda.

Inuigilent Parochi, alijque Ecclesiarum Rectores, ne flagitiosorum hominum occasione Ecclesia, quæ Domus Orationis est, in speluncam vertatur Latronum; confugientes etiam, qui honestè, atque reuerentia qua decet maxima in Ecclesijs non se continuerint, spè immunitatis omninò destitutos esse statuimus. Immunitatis tandem violatores in Excommunicationem Romano Pontifici tantumodo reseruatam eoipso incurrunt: Ecclesiastici verò qui Constitutionis nostræ huiusce modi seriem adamussim seruare neglexerint, iudicio nostro grauiter puniantur.

Clericos insuper à quorumcumque Principum, & Magistratuum Secularium Iurisdictione prorsus exemptos, atque immunes semper extitisse, atque existere explorati Iuris est. Quo circà eos omnes, qui aduersus personas Ecclesiasticas secularem Iurisdictionem directè, vel indirectè quomodocumque, & qualitercumque exercere auxi fuerint, excommunicationis latæ sententiæ pœnam ex Bulla Cœnæ Domini prædicimus.

Si insuper quacunque seculari Iurisdictione, priuilegio, seù auctoritate præfulgeant, qui non modo Clericos, etiam coniugatos, sed quoscunque, & singulos nostræ Episcopalis Curiæ Officiales, Ministros, Cursores, Seruientes, Diaconos Siluaticos, Familiares nostros; Cæterosque sub nostra Iurisdictione constitutos, quauis occasione, vel prætextu exceptis casibus à Iure permissis, & illicò remittendos, carcerare, & aduersus eosdem secularem Iurisdictionem exercere, vel ijsdem quorumcunque nostræ Curiæ mandatorum liberam exe-

quutio-

quutionē quomodolibet impedire prę sūpserint excommunicationis latæ sententiæ pœnam eoipso incurrant. Si verò literarum Apostolicarum exequutionibus, seù Exequtorialium processui impedimenta, huiusmodi etiam ab Ecclesiasticis inferantur, vel suum ad id Consilium, aut assensum præstiterint in Cap. Bullæ Cœnę Domini 14. etiam incidisse notum fit.

Adeo nonnullorum virorum, & secularium iudicum mentes callidi hostis in dies excæcat versutia, vt hi in Ecclesiasticorum Iudicum, & Clericorum odium eorumdem consanguineos, vel affines carcerant, percutiunt eorum bonis gradibus, & dignitatibus spoliant, seù aliàs iniustè persequuntur & grauant, quasi nescientes, quod qui talia committunt, siuè committi mandant, tacitè, & indirectè Ecclesiasticam libertatem deprimunt, ac restringunt, & proindè sunt excommunicationis sententia ipso facto innodati, ex quo metus illatus Consanguineis Clerici, habetur prò illato ipsi Clerico; Parochos nostros proindè hortamur singulos, vt excecationem huiusmodi prædicationis luto crebrò linire non desinant, & conscientias huiusce modi saluberrimis redargutionibus foueant: intima enim nostri cordis nosci, & iudicat Deus.

Clericorum tandem bona nempè Ecclesiastica Patrimonialia, & quasi ab omni laicali Iurisdictione collectis, siuè impositionibus semper exempta, atque immunia extitisse, & existere nullus ignorat, contrafacientes propterea, & Pontificijs, & Cæsarijs subijciuntur pœnis, scriptum est enim magis religionibus, quam officijs, & labore corporis, vel sudore Imperialem Rempublicam contineri.

De Horis Canonicis, & quotidianis Distributionibus. CAP. V.

QVamquam Deus, qui spiritus est, internis Fidei, Spei, & Charitatis affectibus adoretur, externis tamen actibus etiam colendus, & venerãdus est, vt Cor, & Caro exultent in Deum viuum: est enim externus Cultus signum, ac manifestatio quædam Cultus interni, qualis est communis laus, & orationes publicæ, quæ per Ecclesiæ Ministros ex persona totius populi fidelis Deo offeruntur; quo alij quoque pariter ad Dei laudes, & gratiarum actiones frequentiùs excitentur. Non igitur immeritò concinendo Dauid Rex ille dicebat: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustitiæ tuæ*. Et alibi. *In matutinis meditabar in te, quia fuisti adiutor meus*. Et in alio loco: *Septies in die laudem dixi tibi*. Et idem Prophæta aiebat: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*. Et de Completis celebrandis canebat idem. *Si ascendero in lectum stroti mei; si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis donec inueniã locum Domino Tabernaculum Deo Iacob*. Æmulemur Cariſſimi tanti Regis animi deuotionem, qui vt locum Domino in pectore pararet suo, sibi somnum Rex, & Propheta interdixerit, ne nobis dicatur: *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis*. Ne verò pro ijsdem Canonicis Horis psallendis in sententiam, qua dicitur: *Maledictus homo, qui opus Dei fecerit negligenter*; culpa nostra miserabiliter labamur, solerti industria ab

om-

omnibus ſtudendum erit, vt prædictas Horas ea grauitate deuotionis perſoluamus, vt ſoli Deo qui oris ſonum ſine cordis voce contemnit, reuerenter placere poſſimus: Mox enim vt conſuetum acceperint ſignum, feſtinato omnes ad Eccleſiam conueniant, quam non pompaticè, & incompoſitè, ſed honeſtè ingredientes, poſtquam ante Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum flexis orauerint genibus, omninò ſuperpelliceis, & bireto eoſdem paratos eſſe conuenit, & expletis Campanæ ſignis, ac luminaribus ſuper Altare accenſis, Hebdomadarius cum Stola eaſdem Canonicas Horas iuxtà probatos Breuiarij Ritus ac cæremonias inchoando perſoluet.

Vt autem illud Apoſtoli impleatur: pſallam ſpiritu, pſallam & mente: pſallentium in Eccleſia mentes cum voce concordandas forè meminerint: ab otioſis ſermocinationibus auditum pariter caſtigent, & linguam: turpia verba, & obſcena, ac lasciua, & ſecularia, nec ipſi proferant, nec alios proferre ſinant confabulationibus, deambulationibus, aut Canum, & ſimilium ſtrepitu, ſiuè à Clericis, ſiuè à Laicis Diuina Officia perturbari, aut aliqua irreuerentia affici non permittant, quatenus, & conſpectu Domini digni efficiamur; & idem Dominus veniens, non quod in nobis condemnet, ſed potiùs quod remuneret, inueniat.

Dum Canonicæ præces in Choro publicè decantantur, ſiuè leguntur, nullus alius priuatim ibidem aliquid legere, ac nec Horas quidem Canonicas abſoluere audeat, ſed inſimùl cum alijs concinat, & Domino pſallat, qui ſecus fecerit tanquam abſens reputetur omninò.

Qui

Qui alternis Hebdomadis, siuè alijs ex causis extra Chorum Horas Canonicas priuatim legunt illas non somnolentè, aut truncatis verbis, sed articulatæ distinctæ, & cum attentione, integrè omnia, & in locum aliquem orationi aptum pronuncient, ne mentis euagatio, quæ ex vaganti deambulatione nasci solet, debitæ Orationis fructum intercipiat.

Habeat Chorus Psalterium in quo super legili omnes qui maluerint, & præsertim Clerici psallere Canonicas horas queant; ideò Cantorum erit de eo, cæterisque libris ad Gregoriani Cantus vsum, nec non de Ordin. Rom. Martirologio Libro Officiorum SS. Breuiario Rom., siuè de præcepto, siuè ad libitum de nouo adiunctorum vnumquemque suum prouidere Chorum; vt debitus Deo Cultus deuotè, & religiosè persoluatur, veruſque in omnibus seruetur Ritus.

Clerici etiam nostræ Cathedralis Canonici, postquam, vt decet in Sacristia induti, bini, & bini Chorum ingressi fuerint caueant exindè discedere, nisi Diuinis absolutis officijs; qui tamen vrgenti aliqua necessitate impulsus fuerit; is salutatis hinc inde Canonicis, siuè Sacerdotibus, deuotè, ac religiosè ad Sacristiam reuertatur; Si quis etiam extrà Sacristiam superpelliceo indui, sine exui præsumpserit, librarum quindecim Ceræ Albæ pœna mulctetur.

Vt ij qui tenentur statutis temporibus, Choro interesse queant; neuè ad absentiæ pœnam prò modo temporis euadendam excusationis cuipiam sit locus, prò matutini signo secunda Campana per ottauam vnius horæ partem bis pulsetur, & secundo

do expleto signo omnes, quorum interest, in Sacristiam conuenient ac pulsato Sacristiæ tintinnabulo gradatim ad diuinas laudes recitandas accedant; eam in omnibus modestiam, cum deuotione præferentes, vt potiùs feruore spiritus exultare, quam animi lasciuiam gestire videantur; hoc vnum semper animo voluentes non clamans, sed amans cantat in aure Dei.

Vtuè opportuno tempore, & ad præscriptum ac. Con. Episcoporum Canonicæ recitentur Horæ Tabulam hic imprimi mandamus, eamque inuiolabilitèr obseruari præcipimus sub pœna ducatorum viginti.

Tabula perpetua Horarum Canonicarum.

Matutini laudum, ac Primæ continuatæ recitandæ.	Tertiæ, Sextæ, Nonæ, ac Missæ Cõuentualis simul celebrãdę	Vesperarum, & Cõpletorij iũctim psallendi.
Ianuarij hora 14.	hora 16.	hora 20.
Februar. hora 13.	hora 15. ÷	hora 20.
Martij hora 12.	hora 14. ÷	hora 19.
Aprilis hora 11.	hora 13. ÷	hora 18. ÷
Maij hora 9. ÷	hora 12.	hora 18. ÷
Iunij hora 8. ÷	hora 10. ÷	hora 18.
Iulij hora 9. ÷	hora 11.	hora 18.
Augusti hora 10.	hora 11. ÷	hora 18. ÷
Septẽb. ho. 10. ÷	hora 13.	hora 19.
Octobris hora 12.	hora 14.	hora 19. ÷
Nouẽb. ho. 13. ÷	hora 15. ÷	hora 19. ÷
Decẽb. ho. 14. ÷	hora 16. ÷	hora 20.

Dum

Dum in Choro Diuinæ laudes recitantur, nemo ex laicis recitantes perturbare præsumat, nec eo ijdem laici ingredi valeant, sicut etiam, dum Missæ solemnes decantantur, nisi de licentia eiusdem Chori Superioris, qui tamen Præsbyterium laicis commune nequaquam facere queat, vt per eandem Sacram Congr. explicatum fuit.

Sauon. 12. Ian. 1604.

In Dominicis tamen, & festis omnibus de præcepto diebus, & quandocunque functiones, Processionesque publicæ, & similia celebrari contingerit, Sacerdotes omnes, etiam Clericos in Choro prò Diuinis laudibus, & etiam Vesperis persoluendis interfuturos forè decernimus.

Experimento accepimus in recitando Canonicas Horas, & psallendo, modum, & Cæremonias nullibi ex nostræ Diœcesis seruari Choris; itaùt quid ab vnoquoque Canonico quid à Sacerdote Beneficiato, siuè Clerico legendum, & recitandum sit, vel ignoratur, vel qui normam huiusmodi dirigat nemo sit; volentes propterea hanc normam, & modum vbique instituere in quolibet loco nostræ Diœcesis prouectior eligatur in Ecclesiasticis Cæremonijs Sacerdos, qui suum respectiuè Chorum adeò dirigendo componat, vt nihil in eo inordinatum, aut incompositum inspiciatur, sed omne ad præscriptum Cæremonialis Episcoporum cap. vj. diligentiùs seruetur, circa Hebdomadarium, Lectores lectionum, responsoriorum, versiculorum, & circa Cantores, præsertim in his quæ pertinent ad functiones Pontificales, Clericos tandem sic instruant, vt ex seipsis eorum munia expleant diligenter, etsi fortè errauerint solo nutu errata corrigant, quos negligentes in nostra visitatione videbimus, tan-

tanquam in diuino cultu deficientes acriter puniemus.

Punctatores singulis annis in nostra Cathedrali eligendos fore statuimus qui singulorum defectus in certo libello prò qualibet vice connotantes libellum ipsum expleto anno ad nos transmittant, vt aduersus oscitantes huiusmodi defectibus prouidere possimus.

Vt autem qui diuini cultus non alliciuntur amore pœnæ formidine ad illius frequentiam compellantur Punctatorum eorundem vigilantiæ præcipiendo committimus, vt toties quoties aliquem à diuinis præcibus defeciſſe conſpexerint defectus omnes in eorum libro diſtinctè deſcribant, vt Can. Conſt. & Sac. Rit. Congreg. decreta abſentium diſtributiones, præter alias pœnas intereſſentibus accreſcant. Diſtributiones verò in tres partes, vnam S. prò matutino, & Prima, aliam pro Tertia, Miſſa, Sexta, & Nona; Tertiam denique prò Veſperis, & Completorio diuidendas eſſe eadem Sac. Cong. declarauit, ac in noſtræ Diœceſi ſeruari mandamus.

Diſtributiones quotidianæ, quæ ſint, quando ammittantur, & quando etiam abſentibus debeantur, & quibus accreſcant, ſiuè erogari poſſint laborioſum, imò fruſtra eſſet hiſce conſtitutionibus diſſerere, cum de ipſis apud innumeros Doctores, magis prouidè diſſeratur. Illas tamen minimè capitulariter abſentibus remitti poſſe, ſed tantum à quolibet Canonico prò parte ſibi contingente, etiam ei qui non interfuit donari poſſe ſciant omnes.

Qui inſuper ad officium recitandum teneantur;

tur; quos ve ob illius ommissionem illius diei fructus restituere ex Conc. lat. sub Leone X. decreto colligitur, tenoris qui sequitur.

Statuimus quoque, & ordinamus, vt quilibet habens Beneficium cum Cura, vel sine cura si post sex menses, obtento beneficio Diuinum Officium non dixerit, legitimo impedimento cessante Beneficiorum suorum fructus suos non faciat prò rata omissionis recitationis Officij, sed eos tanquam iniustè perceptos in fabricas huiusmodi Beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur. Si verò vltrà dictum tempus in contumacia permanserit, legitima monitione præcedente, Beneficio ipso priuetur, cum propter Officium detur Beneficium. Intelligitur autem Officium omittere quo ad hoc, vt beneficio priuari possit, qui per quindecim dies illud saltim non dixerit: Deo tamen, vltrà præmissa, de dicta omissione redditurus est rationem, quæ pœna in habentibus plura beneficia reiterabilis, totiès sit, quotiès contrafacere conuincatur.

Hoc decretum declaratum, innouatum, & auctum fuit à B. Pio V. Duodecimo Kal. Octobris 1681. Sequentibus verbis.

Ex proximo Lateranensi Conc. Sanctio emanauit, vt quicumque habens Beneficium Ecclesiasticum cum cura, & sine cura, si post sex menses, quam illud obtinuerit, Diuinum officium, legitimo cessante impedimento, non dixerit, beneficiorum suorum fructus prò rata omissionis, & temporis suos non faciat: Sed eos tamquam iniustè perceptos, in fabricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur. Veruntamen

tamen multorum animi suspensione tenentur, cuiusmodi ratę prædictæ ratio sit habenda. Nos huic rei euidentiùs, atque expressius prouidere volentes statuimus, vt qui horas Canonicas vno, vel pluribus diebus intermiserit; Omnes Beneficijs, seù beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidiè diuiderentur: qui verò Matutinum tantum dimidiam: qui verò cæteras omnes Horas aliam dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructum eiusdem diei amittat: tametsi, aliquis Choro addictus non recitans, omnibus Horis Canonicis cum alijs præsens adsit fructusque, & distributiones forte aliter assignatas sola præsentia, vel alias sibi lucrifeciſſe prætendat; his etiam præter fructuum, & distributionum amissionem, graue peccatum intelligat admisisse, ita ille qui primis sex mensibus Officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum iustum excusauerit, graue peccatum intelligat admisisse declarâtes præstimonia, præstimoniales portiones, & qualiacunq; alia beneficia etiam nullum seruitium omninò habentia, obtinentes, cum prædictis pariter contineri. At quicunque Pensionem, fructus, aut alias res Ecclesiasticas, vt Clericus percipit cum modo prædicto ad dicendum Officium paruum B. Mariæ Virginis decernimus obligatum, & Pensionum fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium, Nulli ergo, &c.

Studeant igitur cuncti ita præfatis Sanctionibus, cæterisque huiusmodi Synodis Decretis obtemperare, vt ritè, deuotè, & attentè psallentes Omnipotentis Dei aures orationibus seruorum suorum intentè sint.

CAP. VI.

DOminus quidem Iesus, qui venit requirere, & saluare, quod perierat videns turbas misertus est eis; *Messis multa*, inquiens, *Operarij autem pauci. rogate ergo Dominum Messis, vt mittat operarios in Messem suam.* Num quæso putamus Carissimi, nec dum tempus esse interpellere Dominum Messis vt mittat operarios in messem, non quoslibet, sed secundum cor suum? ò vtinam, & falsi hactenus non irrepsissent Prophetæ in vestimentis ouium, qui intrinsecus sunt lupi rapaces, qui non venerunt nisi vt mactarent, & perderent, qui iamdiù delitescerent, nisi idem Dominus prodidisset, dum dixit: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.*

Hosce aduersus pseudo ecclesiastes nos præmuniuit Christus Dominus: *Videte*, inquit, *ne seducamini; nolite ergo ire post eos.* Christi ergo præceptum ex debito nostri muneris amplexantes, quo, lupos, si qui adsint, ab ouilibus nostræ Diœcesis prorsus abigamus, operæpretium duximus, antiquos hic adducere Canones, ne vlli ad Verbi mysterium, & ad Prædicationis officium sine auctoritate Ordinarij mittantur. *Quomodo enim*, secundum Apostolum) *prædicabunt nisi mittantur.*

Quotiescunque alicuius Parochiæ vacationis casus euenerit Spiritus Sancti præsidio, & Examinatorum Synodalium studio, illam de prouido Rectore, siuè Parocho prò viribus prouidere curabimus;

illos

illos tamen, qui noſtrarum Eccleſiarum hactenus curam, & regimen ſuſtinent, ſic in Domino monitos eſſe volumus, vt Euangelicis, atque Apoſtolicis inſtitutis, & SS. PP. Regulis adducti, non tantùm vocabulo, ſed & facto eorum munus perſoluant: Meminerint quod Dominus ex hoc mundo diſceſſurus poſt tertiam demum dilectionis ſtipulationem, vti vltimum elogium, Petro inculcauit diligentiſſimè: *Paſce oues meas*; id fecerimus, ſi gregem Chriſti, poſt Chriſti vicem diligamus, atque eundem, tam verbi doctrina, quam operis exemplo paſcamus; Diuinorumque Sacramentorum diſpenſationem iugiter tueamur.

Satagant primum Parochi, ne vitam agant doctrinæ contrariam; & plus exemplo deſtruentes, quam verbo edificantes, Phariſeorum imputatione conuincantur; alligant enim onera importabilia, digito autem ſuo nolunt ea ea mouere; operum voce fortiùs, quam verborum ſonare nitantur; *Ne vox quidem Iacob ſit, manus autem Eſaù*. Oues ſuas nominatim vocent, & ante eas vadant; ſal etenim terræ, & lux mundi Prædicator Euangelij dicitur: *Et lucerna ſuper candelabrum poſita, vt luceat omnibus qui in domo ſunt*.

Vt Vſurariorum lucrum à ſuis ouibus ambigãt manus ſuas ab omni prorſus auaritiæ ſuſpicione ſeruent innoxias, non opes, ſed ouium animas venantes, non auri, ſed hominum piſcatores: alioqui ex paſtoribus fient mercenarij, & vertentur in lupos, audientque Dominum per Ezechielem exprobantem: *Lac comedebatis, & lanis operiebamini, quod craſſum erat occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis; quod infirmum non conſolidaſtis, & quod*

ægro-

agrotam erat non sanastis; Confractum non alligastis, & abiectum non reduxistis, & quod perierat non quæsiuistis, sed cum auctoritate, & potentia imperabatis ei, &c.

Sobrij se in omnibus continentes, vitent omnia, quæ pastoralem authoritatem aut dedecorant, aut minuunt: luxus inanes, & nefaria libido, nec nominetur in Parochis, sed adeo pudicitiam cum castitate componant, vt cæteris exemplo iugiter esse possint. Quo enim vultu fornicarios, adulteros, & concubinarios huiuscemodi è Cœlo cum Apostolo excludet, qui huic volutabro cæni, & ipse immersus est?

Verbi Dei dissemination em super currenti illius diei Euangelio singulis saltem Dominicis principalioribusque solemnitatibus inter solemnis Missæ Celebrationem taliter populo explicare conentur, vt Commissarum sibi Ouium corruptionibus medentes, ita increpationibus iuxta audientium captum monimenta commisceant, vt animarum saluti, & muneri suo satisfeciss credatur; qui enim conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam suam à morte; qui verò vitiorum videns gladium, prædicationis non insonuerit buccina, sanguis eius de manu speculatoris exquiretur.

Habeat gladium à dextris, & sinistris secantem, & varietatem opportunam in pascendis ouibus discernat, nec idem omnium palatum esse meminerit, quod vnam namque ouiculam nutrit, alteram, aut macerat, aut mactat. Agat igitur solicitudine qua maxima ne culpando auarum, prodigus hinc argumentum prodigalitatis colligat suæ, & culpando prodigum, auarus inde tenacitatis suæ excusa-

tionem

tionem arripiat; sic agat, vt medium iter pateat ad incidendum per viam regiam mandatorum Dei.

Plebem suam postquam super Decalogi præceptis articulis fidei, ac Ecclesiæ Sacramentis, simul cum explicatione Orationis Dominicæ, cæterisque ad salutem intruxerint necessarijs validæ Confessionis necessarias circumstantias diligentiùs edoceant, præsertim centuris illaqueatos, nisi satisfactio, & licentia præcesserint absolutionis beneficio nullatenus capaces esse; si enim post Baptismum lapsi hac secunda post naufragium abutentur Tabula, ipsorum omnium desperanda erit salus.

Sanctissimæ Eucharistiæ Excellentiam vnicum piarum mentium solatium ac deliciem, ita frequentius prædicent, vt tanti Mysterij contemplatione populus contremiscens, qua cordis puritate sumendum sit venerando cognoscant.

Notorios excessus, & odiorum, ac grauium inimicitiarum causas, atque occasiones, & corrigant, & componant, criminosos publicos illos præsertim, quibus Ecclesia Dei scandalizatur, siuè Clerici, siuè Seculares sint, infrà mensem notitiæ suæ computandum, Nobis, seù Vicario nostro notificent, & conscribant, & qui huiusmodi statum neglexerit, præter Omnipotentis Dei indignationem, quam incurrat, pœna condigna per Nos, vel nostrum Vicarium punietur, & inflectetur.

Inter Missarum solemnia non modo festos dies, & vigilias inter hebdomadas occurrentes, sed statuta nostra Synodalia nuncient, & populo suo ad verbum explicent.

Ad

Ad ægrotantium audiendas Confessiones, siuè Animarum decedentium commendationes, non nisi cum superpelliceo, stola, & bireto cum aliquo honesto Clerico decenter accedant. Charitatem autem eam erga huiusmodi ægrotos exerceant, vt illos, licet non accersiti inuisent, quo animarum saluti ex sui muneris debito præsto sint, & occurrant.

Parochi residentiam in sua Parochia ex Sac. Con. Trid. & Sac. Can. dispositionibus perpetuò requiri indubitanter colligitur; si quis igitur, etiam per tempus, & in casibus à Iure permissis absque nostra, vel Vicarij Generalis nostri, inscriptis licentia à sua Parochia abesse præsumpserit ducatorum viginti quinque pœnam à nobis pijs vsibus erogandam incurrat.

Sacramentorum Claues, non nisi à nobis approbato substituto, & propter à nobis probandam absentiam, vllo modo committant. In repentinis tamen casibus dummodo intrà Diœcesis se fines contineant per tres tantum dies, relicto vt diximus substituto abesse posse permittimus, qui secus fecerit arbitrarias, & non leues patietur pœnas.

Solemniorum festiuitatum diebus, Paschatis præsertim temporibus, & ipsos, & approbatos à nobis Confessarios in Sedibus Confessionalibus assiduè paratos, & expositos, esse conuenit. In reliquis verò temporibus, adeò in Sacramentorum Confessionis præsertim administratione, peruigilent, promptique sint, quasi rationem prò animabus sibi commissorum fidelium reddituri.

Eorum officium, artium artem, & Scientiarum

Scien-

Scientiarū à Sacris Canonibus appellatum, virtutibus pollentia præditum esse necesse est: assiduam igitur Sanctorum Patrum, & Canonicorum Doctorum, quam Domi habebunt lectionem, cum casuum conscientiæ, vt mox dicemus, conferentia, taliter experiantur, & exerceant, vt in his quæ sibi prætiosa esse Christus testatur strenuè laborantes, inesplicabilem ipsis repositam mercedem accipiant.

In Candelarum, Cinerum, & Palmarum benedictione pariterque distributione, deuotionem, cum reuerentia, & ipsi adhibeant, & à recipientibus seruari faciant, vt quorum repræsentant Mysterium venerantes, non in desuetudinem, sed animi religione humiliter recipiantur.

Censuras omnes in hisce Synodalibus Constitutionibus expressas, & in Bulla Cœnæ Domini contentas materna lingua feria quinta maioris hebdomadæ singulis annis differere fidelibus non prætermittant; earumque copiam in Sacristia, & Confessionalibus sedibus iugiter habendam forè decernimus.

Constitutionum idcircò nostrarum, siuè Synodalium, siuè Visitationis, & aliarum quarumcunq; Ordinationum acerrimus erit propugnator; quos illarum transgressores nouerit, Nobis, vel Curiæ nostræ propalare non negligat, vt quæ ad Dei cultum morum, correctionem, & Ecclesiasticam disciplinam constituta sunt, inuiolabili, perpetuoque seruentur Iure.

Ecclesiarum, vt decet seruitium Ecclesiasticorum, residentiam, eorumque vitam, honestosq; mores, quam diligentissimè exquirant. Constit.

haſce Synodales noſtras perſæpè voluant, legant, ediſcant, vt quod ſuum ſit animo voluentes, nullibi eorum partes oſcitantes appareant.

Quæ de Parochis hic, & alibi explicuimus, idem de eorum ſubſtitutis intelligendum iri declaramus, qui enim Parochorum vices, quandoque ob eorum abſentiam ex noſtra licentia ſubſtituerint, eorundem munera, atque onera erunt neceſſariò ſubituri.

De Vita, & Honeſtate Clericorum. CAP. VII.

DE vita inſtituenda, nedum Clericis, ſed omnibus ſic præcepit Apoſtolus: *Mortificate* (inquiens) *membra veſtra quæ ſunt ſuper terram fornicationem, immunditiam, libidem, concupiſcentiam malam, auaritiam, quæ eſt ſimulacrorum ſeruitus, propter quæ venit ira Dei in filios diffidentiæ.* Nunc autem deponite, & vos omnem iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam de ore veſtro, expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum. Induite verò vos ſicut electi Dei Sancti, & dilecti viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam patientiam. In omni Sapientia docentes, & commonentes voſmetipſos in Pſalmis, himnis, & Canticis ſpiritualibus pſallentes in cordibus veſtris Deo. Non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed in ſimplicitate Cordis timentes Deum. Quodcunque facitis ex animo operamini, ſicut Domino, & non hominibus. Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus. De cætero quæcumque ſunt vera, quæ-

cumque

cumque pudica, quæcumque iusta, quæcumque Sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate, & Deus pacis erit vobiscum.

Clericos igitur maximè in Sacris constitutos admonitos esse volumus, se in sortem Domini vocatos benè viuendi necessitatem non peccandi licentiam esse assecutos: Sanctorum opera exercentes, vigilantes, atque solliciti plantent euellant dissipent.

Intrinsecam morum honestatem per extrinseci habitus decentiam præseferant. Non pannosi, aut in vestibus laceri sint; non enim affectatę sordes, aut exquisitæ deliciæ in Clericis laudem pariunt.

Clericus Comam non nutriens detonso Capite, & patentibus auribus incedere debet, & Tonsura, Coronam suo statui, Ordini, aut dignitatui conuenientem iuxtà Canonum Sanctiones deferant. Talaribus vestibus, ac præcinctis, non subductis, ac breuibus, nec variatis, aut diuisatis, sed clausis, ac strictis manicis statui Clericali decentibus quiuis Clericus vtatur, & induat. Breuiores vestes itinerantibus tantum permissas esse volumus. In Ecclesijs verò præsertim omnibus sub pœna ducatorum duodecim omninò interdicimus. In minoribus tamen Clerici habitum Clericalem, *vulgò detto Sottana* non deferentes si per Parochos ter moniti non resipuerint, Clericali Priuilegio eosdem omninò destitutos esse declarabimus.

Cum elationis sapiat calumniam, quidquid propter venustatem nimis immoderatè impenditur, partitas proindè, aut scaccatas, inhonestiuè coloris nullus assumat, Caligas. Non lunatis, aut cornutis,

æc nimis feneſtratis vtatur Calceis. Annuliq; vſum ipſis vetitum eſſe ſciant, niſi huiuſmodi ſint quibus id ac decorem ſuarum dignitatum, præterquam in Miſſæ Sacrificio permiſſum eſt.

Mentis temperantia itineris grauitate reſplendeat incompoſitio enim corporis, riſus diſſolutus, immoderata oculorum vagatio, inæqualitatem indicant mentis. Eam cum Laicis ineant conſuetudinem, vt non ex nimia familiaritate vileſcant, vel ex nimia grauitate, ac faſtu, animi elatio plus æquo inſpiciatur.

Ab alearum, taxillorum, talorum, & qui à ſorte dependent ludis, & alterius cuiuſuis generis, ſiuè publicè, ſiuè priuatè, ita ſe abſtineant, vt nequidem illorum ſpectatores, aut in lucri partem ſint; huiuſmodi enim tam in Sacris, quam in minoribus conſtitutos ducatorum vigintiquinque multa ſingulis plectemur vicibus. In modeſtis verò ludis priuatim, & cum Clericis talitèr interdiù permittimus, vt animi cauſa, & non lucri gratia huiuſmodi ludos frequentare inſpiciantur.

Tripudijs, ac ſaltationibus præſertim publicis, & cum mulieribus non ſe immiſceant: non turpes, amatorias, aut laſciuas deprom ant Cantilenas, nec minus ſimilia cantantibus adſint, Comedijs, & laſciuis ſpectaculis nequidem interſint ne auditus, & intuitus Sacris Myſterijs deputatus turpium ſpectaculorum, atque verborum Contagioni polluatur. Spirituales verò Tragedias, ſi petierint, quandoque agi poſſe ſinemus.

Mulierem extraneam, niſi fortè mater, ſoror, aut auia, vel amita, vel matertera, ſeù fratris vxor viuente viro ſit nulli Clericorum in domibus ſe-

secum habere permittitur : Earundem tamen ancillas suspectæ ætatis, vel conditionis, quæuè quinquagenariæ saltim non sint pari studio vbiq; Clericis veritas esse volumus.

A Crapulis ebrietate, à Compotationibus illis ad haustus æquales, à luxu, & immoderatis Commessationibus Clerici se reuocent cuncti; ne ebrietate corda eorum grauentur; ait enim Salamon: *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas; quicunque his delectatur non erit sapiens.*

Arma prohibita sub triremium pœna, nec domi habeant Clerici, non prohibita tamen domi retinere permissum, sed illam non deferre eisdem vetitum esse statuimus; quos enim Clericos licet non apprehensos de huiusmodi delicto per binos testes fide dignos redargutos esse contingerit, ducatorum vigintiquinque pœna ex nunc damnatos esse volumus.

Quibus ex Sacerdotio, & patrimonialibus bonis fortasse redditus non suppetunt honesto aliquo artificiolo Apostoli exemplo victum quærere permissum est; ita tamen vt sordidam aliquam Sacerdotio ignominiosam non exerceant artem.

Magnam illorum detestari non desistimus leuitatem, qui Sacerdotalis immemores dignitatis se laicis, & delicatis fœminis in Cappellanos (vt appellant) & ante ambulones sæpissimum venditant; hi enim cum gregis debeant esse duces, redigun-tur in caudam, & sordidissimis quibusque negotijs alligantur. Proh nefas? maximam verò aliorum damnamus infamiam, qui in cõuiuijs diuitum scurras agentes quum malefecerint gloriantur, & exultant in rebus pessimis: qui nec Clerici nomine di-

gui

gni sunt; eos verò tantùm, & re, & nomine Clericos reputamus, qui legem, ac vitam agunt Sacerdotio dignam.

Post secundam noctis horam ita se in proprijs contineant domibus, vt ni legitima necessitas vrgeat si postmodum vagari præsumpserit arbitrarijs subiaceant pœnis.

Primæ Tonsuræ Clericos, & in minoribus constitutos, qui Ecclesiæ cui addicti fuerunt seruitium alternis vicibus prò norma Tabulæ per Parochum in Sacristia erigendæ deseruerint, quiuè Clericali; vt diximus habitu, & Tonsura non incesserint priuilegio fori solummodò destitutos esse declaratum fuit Sac. Cong. teste *Diana par.2.resol.36* Eos verò qui ter moniti, Clericalem habitum non gestauerint, tunc etiam Can. priuilegium, & quodcunque Beneficium amisisse decernimus, qui tamen absque Pileo, & tunica, sed vt dicunt, cum *Montera, e Giustacore* ambulare tentauerint, ducatorum quindecim pœnam incurrant.

Diaconos, & Subdiaconos singulis Dominicis diebus, Clericos item in prima, vel tertia cuiusuis mensis Dominica Sacra Communione se reficiendos esse mandamus; huiusque præcepti, & aliorum omnium obseruantiam Parochi in vnoquoq; mense nobis, vel nostro generali Vicario erunt insimùl enunciaturi.

Secularibus negotijs, & mercaturis nemo se implicet, multoque minus coram Iudice Seculari, nisi prò se, aut Ecclesia sua, aut coniunctis, & miserabilibus personis in Ciuilibus tantùm causis patrocinari, aut postulare præsumat; nec prò alijs fide iubeant, aut Curationem, siuè tutelam quamcunque

cunque suscipiant, nisi specialis venia nostra præcesserit; vt in omnibus ei placeant cui se probarunt.

Cum nullus promoueatur, qui seruitio alicuius Ecclesiæ necessarius non sit; illi propterea cui adscriptus est assistentiam, atque obsequium præstare tenetur; qui igitur suæ Ecclesiæ seruitium deseruerit, vel à nostra Diœcesi absque nostris permissorialibus litteris discesserit ducatorum viginti pœnam erit protinùs exsoluturus: hi verò qui cum nostris litteris huiusmodi discesserint si in terminis ipsis præscriptis non redierint eamdem pœnam protinus incurrant.

Execrandum suadente Diabolo inoleuit flagitium, vt sæpè numero præter alia enormia facinora, enormissimum; ac detestabile illud homicidij Clerici passim perpetrare non erubescunt; vt huiusmodi sceleri, Deo adiuuante occurramus, hac nostra Diœcesana Constitutione statuimus, vt quicumque huiuscemodi crimen, quod absit patrare præsumpserit, quique ad id auxilium, Consilium, siuè fauorem dederit in bonorum omnium descriptionem, & amissionem, ac triremium per decennium pœnam eoipso incurrat, in quam pœnam incidat, etiam, effectu non sequuto, si per testes fide dignos huiusmodi animum actu interceßisse constiterit, malefactorum, verò similium, siuè Clerici, siuè Laici sint receptatores, licet non damnatorum, nec contumacium vnius anni carceris pœnam luant.

Clericali habitu non omnibus, sed tantum ijs, qui prima saltim Clericali insigniti fuerint Caractere indui fas erit; qui verò Clericus, licet in minoribus constitutus priusquam in Cancellaria

nostra

nostra Episcopali per Notarium, num fuerit inquisitus perquisitum fuerit, eius habitum ex sui libito dimittere, & renunciare auxus fuerit vigintiquinque ducatorum pœnam pijs vsibus, &c. incurrat eoipso.

Experientia docuit Clericos ad minores, siuè Sacros Ordines promouendos, & quamplurimos ex nostra Diœcesi promotos, non modo latinæ linguę intelligentiam, sed meram librorum lectionem in sui muneris neglectum, & secularium fabulas, vt plurimum ignorare. Statuimus propterea huiusmodi Clericandos inter alia requisita attestationem Cleri habere debere eos studijs cum profectu vacare, & suo tempore pacificum patrimonium possessuros.

Clericis præsertim in Sacris constituti, qui quotidie Sacrosancta tractant, Vasa Domini portant, & in Sacrario operantur, adeò mundi castè, & continentes viuant, vt Deo, cui se addixerunt omni tempore placere possint; quos enim fornicarios, & qualicunque nepharia libedine conspexerimus coinquinatos eos censuris, & pœnis non leuiter compescemus.

De Officio Sacristæ. CAP. VIII.

PErnecessarium Sacristæ munus vbique Ecclesiarum semper fuit, quo per huius ministerium Dei domus, eique dicata, quo decet studio seruarentur, & Cultu. In cunctis ideò Diœcesis nostræ Parochialibus aliquem in Sacris saltim constitutum eligendum esse statuimus. Sacerdotibus tamen quinquagenarijs, & vltrà exceptis,

cum-

cumdemque prò huiuſmodi exercendo munere conſuetis Eccleſiæ ſtipendijs, ſiuè duplicatis diſtributionibus, minimè defraudandum iri, mandamus.

Sacriſtiæ ſupellex per manus Prædeceſſoris moderno conſignetur Sacriſtæ illud in authenticum Inuentarium quolibet redigatur anno; ſuum proindè tantum erit Sacras veſtes, vaſa, & indumenta quæcumque Deo, & eius Eccleſiæ addicta adeò nitidè, ac diligenter cuſtodire, vt nihil [illegible]edargutione, aut nota, ſed omne commendatione dignum inſpiciatur, ſi quid eius perierit culpa, id totum proprijs erit refecturus ſumptibus.

Vnius Eccleſiæ ſeù Cappellæ, quæ res accomodatæ ſunt vſui non alteri accomodari minuſque extra Eccleſiam protrahi, nec priuatis ſinant in locis detineri; ſuppellectilium omnium idcircò claues, & Sacriſtiæ iugiter penès ſe retinendas forè decernimus ſub pœna contrafacientibus ducatorum trium prò qualibet tranſgreſſione.

Prò Sacerdotibus celebraturis genuflexiorum cum orationibus præparatorijs ad Miſſam, & labrum aqua redũdans cum mundo manutergio nunquam in Sacriſtia deſiderari permittat.

Altarium linteamina, ac Calicis, & Sacerdotum linoſtica eo ſplendeant indumenta candore, vt ipſi complaceant, qui candor eſt gloriæ.

Palliorum, & planetarum colores iuxtà temporum congruentiam variabunt: Ordinarij Romani quem ſemper habebunt in Sacriſtia, nunquam proindè deſpiciant lectionem.

Totius Eccleſiæ altaria, illiuſque pauimentum, & parietes per Clericos, hobdomodarios, adeò

componant, & expoliri curent, vt nihil inordinatum, nil incompositum existens in Domo Dei cum Sanctitudine, & ornatu præfulgeat.

Campanarum sonitus pro temporum, ac rerum occasione variari faciant, vt quæ prò Dei Sanctorum, & solemnitatum festiuitatibus, quæ ad Missarum, & Diuinarum præcum conuocationem, quę uè ad Processiones, Conciones, Salutationem Angelicam, & hisce similia signa pulsentur ab omnibus concipiatur; præsertim quum contra imminentes aèris tempestates ad excitandas fidelium deuotas præces consuetum dandum est signum, neuè in Canonicis persoluendis Horis, Missæquè Conuentualis celebratione à statutis declinetur horis; Superiùs descriptam Horarum tabellulam in qualibet Sacristia perpetuò retinendam esse mandamus.

Sacerdotum in celebrando præcedentiam ex officij gradusuè dignitate, Ordinumquè prioritate discernant; ita tamen, vt cuiquè locum suum cedere alteri ex æquitate, absque alterius præiudicio libens sit.

Liber in quo omnia, tum communia, tum priuatorum onera Missarum contineantur annis singulis manuscriptus in Sacristia semper habeatur, Missarumquè satisfactionem, iuxtà cuiusque pensum diligentèr à Sacerdotibus exigant, & suum quisque nomen post Missæ celebrationem illicò, & qualibet in eodem libro subscribat vice, quem quarto quoque mense sub pœna ducatorum trium nostriæ Curiæ Promotori reuidendum præsentent.

Sacerdotes, qui Vrceolos cum vino, & aqua peluicula manutergio, & tintinnabulo ad Altare vbi erunt celebraturi non præmiserint è Sacristia nequa-

quaquam ad celebrandum egredi permittant; neuè huc, illuc, per Ecclesiam indecentèr circunferantur, corruptelam huiusmodi aureorum trium punitione interdicimus. Hostiarum confectionem vltrà quamquè non distrahant Hebdomadam, vt recentiores præsertìm in Sanctissimo Tabernaculo qualibet fer. 5. consecratæ seruentur.

In Ecclesijs quicquid fidelium mentes ab orationibus abstrahit, diuinarumque psalmodiam, & celebrationem interuertit, quominùs abigant Canum quo circa, aliorumque huiusmodi strepitus absint, sed miserabilium nequidem quæstus per intus Ecclesias concedant; Laicos verò dum diuinæ soluuntur præces à Sacristia, & Choro sub anathematis pœna penitus excludant.

Inuocationes quascunque præsertìm de nouis erigendis, siuè antiquis amouendis Sedibus, Nobis inconsultis cuilibet in Ecclesijs interdicant, & quo eorum non pertingit officium Vicarij nostri generalis inuocetur auctoritas.

Vtue Sacristæ claudicans vnquam in nihilo cernatur officium Præpositi, propterea siuè alterius, qui Sacristię impensas erogare tenetur nullo pacto desideretur anxilium, & qui in necessarijs deerit necessariò mulctabitur.

SESSIO TERTIA.

De Canonicis.

CAP. I.

Athedralis Ecclesia, quæ est principalis Episcopi Sedes, Principemq; locum inter Cleros obtinet, nisi quæ in tota Diœcesi constitutæ sunt omnibus præluceat, cæteras ad Ecclesiasticæ disciplinę Ordinem frustrà videretur reuocare.

Licet verò in hisce similibus Ecclesijs diuersi ministrantium sint gradus, in hac tamen nostra Primicerij dignitas, & octo Canonici cum animarum cura binis nominibus tantùm distinctos esse reperimus. Interpetretur quisbue vocabulum suum, & iuxtà Sanctorum Patrum institutionem, curet esse quod dicitur.

Reipsa vt sunt nomine Canonicos, id est regulares se esse meminerint, non enim clam est primum eorum originem Monasticæ disciplinæ fuisse, nascentis Ecclesiæ ministrorum imitatores esse studeant; quorum erat cor vnum, & anima vna, qui perdurantes vnanimiter in templo, cibum in cordis simplicitate cum exultatione sumebant collaudantes Deum, & ad omnem gratiam habentes plebem. De his Psaltes ait: *Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum, eosdemque compellans dicit. Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui*

Do-

Domini, qui statis in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri, &c.

Caueamus primum fratres, ne plus nummorum appetitus, quam Dei amor in templum nos trahat, quæstum pietatem esse putantes. De his enim Isaias dixit: *Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, & à Giezi Crimine, qui existimauit diuinum munus pecunia redimendum esse, parum, vel nihil huiuscemodi homines abesse dicuntur.* In via igitur testimoniorum Domini delectemur, sicut in omnibus diuitijs, & cum eodem Psalte ore simul, & mente dicamus. Voluntariæ sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.

Statis proindè horis omnes in Choro conueniant, ibique non cursim, ac festinanter, sed tractim, non truncatè, sed integrè, distinctè, deuotè, reuerenterque Diuinas Deo laudes persoluant, & senes cum iunioribus laudent nomen Domini; risus, colloquia, & cachinnos in Dei Domo intermiscere nefas esse nullum latet.

Quod de Clericis eorumque habitu ante prædiximus id in Canonicis, tanto debet esse decentior, quanto sunt in altiori loco perindè, ac in speculo quodam collocati: His legibus, siuè claris sit prognatus natalibus, siuè plebeius nullum excipimus, quin potiùs præstantes genere, se illic Canonicos agere, & non in aulis versari recordentur: Non in petram scandali, & offensionis lapidem positi, sed in Scholis virtutum, & Ecclesiasticæ disciplinæ constituti, Christi, & non seculi veri milites videantur.

In Cathedrali nostra nullam prò Capitularibus Congregationibus habendis, siuè inter Hebdoma-

das,

das, siuè in mensę, certam hactenus, vt conuenit, per Capitulum constitutam fuisse diem accepimus: Hinc est, quod Capitulares sæpè numero Conclusiones non vocatis vocandis, nec seruatis seruandis, meritò infirmantur, & nullius sunt roboris; huiusmodi proindè Capitulares conuentus absque nostra, vel Vicarij Generalis nostri licentia sub Ecclesiastici interdicti pœna in posterum prohibemus; quæue cum præmissa licentia fient, iuxta Innocentij III. Decretalem, quæ incipit, quia propter, componantur, & terminentur, sin secus factum fuerit, vltrà prædictam pœnam, Conclusiones quascunque irritas esse declaramus.

Dei causam omnibus alijs præponendam esse sciunt cuncti; Capitulares propterea conuentus non nisi post Summam Missam celebrari posse decernimus, ne eorum occasione, vel suspendatur, vel diuinum præcipitetur Officium.

Capitulares Conclusiones, & quidquid in ijs resolutum fuerit non volantibus committatur folijs, sed ad perpetuam cuiusque rei memoriam, per fidum qui de capituli gremio non sit eligendum Notarium, qui Secretarij munus subibit, in publicam, & authenticam redigatur formam; eiusque acta omnia insimul cum alijs scripturis in Archiuio Capitulari duabus præmunito clauibus, quarum altera penes vnum de Capitulo, altera verò penes nostrum Vicarium Generale detineatur diligenter includenda fore mandamus.

In Vicarij Capitularis electione, quoticscunque Iuris casus exegerit, Spiritu Sancti salutari præsidio, non autem temporalium dominorum pollicitis, siuè minis patiantur adduci. Doctorisque vnius

de

de Capitulo existentiam, alius non Doctoris electionem inualidare prænoscant; si secùs fecerint indignam electionem Metropolitanus, alteriùs ex sui libito deputatione compescet.

Dilectissimos proindè fratres nostros Canonicos in Dei filio hortamur, vt in Ecclesiasticis Sanctionibus huius nostræ Synodi, & in cæremoniali Episcoporum lectione taliter instructi sint, vt ne dum ab alijs mendicare, sed cunctis normam præbeant eorum, quæ ad Dei cultum decent.

De Visitatione. CAP. II.

FRustrà leges promulgari, nisi, & sint qui eas; exequantur semper omnibus visum fuit, Cõstitutiones itidem Synodales hasce nostras, Sãctorũ Patrum, & Cõciliorum Sanctiones, & decreta inefficacia, & languida forè neminem fugit, nisi ab Episcopo, & reliquis quibus eorum obseruantia demandata fuit, mancipentur effectui: nos proindè, siuè alios à nobis deputandos, annis singulis, quousque, Deo dante, præsultatus huiusce, licet, non nostris meritis, onus subibimus beneuolum iuxta Sac. Con. Trid. Const. Visitatorem expectent, quinis propterea quantum poterit prouidè suo incumbat muneri.

Quæ singulis in locis erimus scisitando inuestigaturi, quæque corrigendo, & repurgando, statuemus, ex primeuo Visitationis nostræ quilibet hauriat, & colligat Edicto.

Quos ad Ecclesiarum, ac piorum locorum munia exercenda præfecimus, si Cæcos aut claudicantes viderimus, pari studio reformabimus, ne ij, quibus

bus ducatum præstant simul in foueam trahantur, & decidant, quod enim ab illis committitur facilè ab alijs trahitur in exemplum.

Quos Præfectorum huiusmodi nimia dissolutione contemptores nouerimus, carcerum macera-tione, & censurarum redargutione respectiuè corripiemus, donec resipiscant.

Num Hæreticus, aut Scismaticus, quod absit delitescat, num prauitatis aliqua proserpat occasio diligentissimè percunctabitur, hisce etenim radicibus exemplo biceps apponenda erit bipennis; vt quiuis per Verbum Dei ad viam veritatis reductus, Ecclesiæ vnitati restituatur, & qui contumax fuerit de medio tollatur.

Sortilegia superstitiones, Diuinationes, & alia id generis quibus fidelium mentes à Deo viuo per Diaboli fraudes seducuntur, à Diœcesi nostra fortiter inquirendo fugabimus; periuria, blasphemias, Vsurarios, Adulteros, Concubinarios, ac publicè criminosos nostrum est, Dei gratia preueniente, ad rectam omni studio reuocare vitam: Num Ecclesiasticæ contemnantur censuræ, quippè Ecclesiasticam Iurisdictionem floccifaciant, aut Ecclesiæ Sacramentis non participent, sique dies seruentur festi toto corde inuestigabimus.

Parochorum tandem, & Ecclesiasticorum mores, & vitam, quam benè diuinæ persoluantur laudes, quomodo domus Dei, & eius decenter seruetur supellex, num bona Ecclesiastica alienata sint, stricto cribo examinabimus. Reliqua ex Sanctorum Patrum eruditionibus, quisque studio perquirat suo; prudentes etenim commendabimus villicos torpentes verò acro iure erimus damnaturi.

De publicis Processionibus. CAP. III.

ANtiquissimum, probatumque Ecclesiæ de Processionibus ritum, & Cæremonias hìc interserere superuacaneum foret, cum totum omne Rit. Rom., & Episcoporum Cęremoniali vberius colligere quisque poterit Clerus. Omnes tamen in Domino monere non desistimus, vt ne quid minimum ex Ecclesiastico tollentes ritu, eam in celebrandis ijs deuotionem, diligentiam, ordinemque præseferant, quam Dei, & eius Ecclesiæ Christianam decet militiam.

Cæremoniarum proindè magistri in nostra Cathedrali, & Parochorum in reliquis nostræ Diœcesis locis potissimum erit per diem ante, non solùm Campanarum consueto populum ciere sonitu, sed omnia ita decenter, ac diligenter præparare, & prouidere, vt in Omnipotentis Dei honorem, quiuis litis, contemptionis, præcedentiarumquè maximè procùl absit occasio.

Vias per quas Processio ductura erit iuxtà loci vires, & qualitatem, mundari, illasque floribus, virentibusque folijs, sacrisque picturis, & pannis sterni, ornariquè curabit; Ecclesia è qua procedendum, & ad quam accedendum erit, quam perpulchrè ornanda, & præparanda erit, præsertìm in festiuitate Sanctissimi Corporis Christi cum Octaua, iudicet is qui domus Dei verus Cultor, & Minister existit.

Quæ in die S. Marci, & Rogationum, & extraordinariæ Processiones aliæ, quæ ad Dei sedandam iram quandoque fiunt, & similia, violaceo perfician-

ciantur ornatu, quæ autem ex causa lętitiæ prò gratiarum actione, siuè prò aliquarum insignium reliquiarum translatione Sanctorum ad instar Processionis Sanctissimi Sacramenti regulari, ordinariq; poterunt; Luminaria tamen accensa, seù funalia cum Sanctissimum Sacramentum, & quando in Processionibus saltim Sanctarum adducuntur Reliquię, magis deferre conuenit.

Vt per Confraternitates, & Clerum, aliosque Processionibus ex debito, vel consuetudine interessentes conuenienti procedatur ordine eorum præsto sint vices, qui priùs laicorum Confraternitates, deindè Clerum, & vltimo loco Cathedralis Ecclesiæ Capitulum, competentibus, si commodè fieri poterit paramentis ornatos procedere faciat, quos omnes Magistratus nobilesq; loci prosequantur laici.

Ad contemptionum rescecandas præcedentias, Baldacchini hastas in festo Sanctissimi Corporis Christi, Beneficiati Clerici, siuè Sacerdotes ad Parochi nutum asportantes eleuabunt; si quis ex Laicis aliter attentare præsumpserit Excommunicationis sententiam incidat eo ipso; idemque Parochus à Processione desistat.

Ad fidelium deuotionem cum religione excitandam Ecclesiasticorum normam, & exemplum expetimus vt cum maximè, mundis quo circà superpelliceis circumamicti, decentique regulariter tecti bireto bini, & bini taliter incedant, vt modestiam cum deuotione coniungentes, orationum, & præcum nulla mentis, nec oculorum vagatio intercipiat fructus. Litanias cæteraque in Rituali libro contenta per viam cantent, & nihil vltrà. Hymnum

num verò, *Pange lingua*, in SS. Sacramenti Processione consonis, honestisque modulentur vocibus.

Prætèr ab Ecclesiæ institutas, quæuè in Titularis Patroniquè festo, siuè ex probata fieri solent consuetudine, aliàs absque permissione nostra nullibi Diœcesis Processiones fieri posse statuimus. Contrafacientes, eosque tam Seculares; quam Regulares, qui vocati Processionibus interesse renuerint Ecclesiastico supponimus Interdicto.

De Bonis Ecclesiasticis. CAP. IV.

INniustum semper arbitratum fuit, & impium vt ij cuius curæ Ecclesiastica bona commendantur, vel illa temerè distrahant, vel distracta vendicare negligant, quasi nescientes conseruationem, & bonorum, ac Ecclesiæ iurium defensionem adeò rectori adhærere, vt priusquam illorum nanciscantur possessionem, de non distrahendis, distractisque recuperandis bonis spirituali vinculo potissimum ligari.

Rerum Ecclesiasticarum alienationem Ecclesiæ vtilitati, & Clericorum, ac pauperum substentationi semper obfuisse, & non modo per S. Can. Pauli II. extrauagan. ombitiosæ, & S. Con. Trid. imò in Iure Cæsareo *in l. iubemus*, C. *de Sacrosanctis Ecclesijs* absque iusta Causa, & Iuris solemnitate vetitam fuisse Ecclesiarum Rectores sciunt, vel scire tenentur, quæ enim ad Ecclesiastica Iura pertinent, non secus ac ipsamet Sacrosancta Ecclesia, intacta conuenit custodiri.

Alienantium cupiditati, & auaritiæ occurrere cupientes, pœnas contra alienantes Ecclesiæ bona

iusta non intercedente causa,& solemnitatibus, hic breuiter interserere sategimus,vt eorum ignauiam, qui Iuris Canonici inespertes nequidem Ecclesiasticos perscrutantur Doctores aliquo quantum possumus faciliori conuincamus Elogio, mortale primum peccatum committitur cum sit error grauis sub excommunicatione prohibitus, quæ non nisi prò mortali infertur, in periurium incurritur, cum aduersus Iuramentum de non alienando præstitum, imò alienata recuperando peragisse redarguitur: restitutioni alienans, & eius hæredes, & damnorum refectioni quandocumque reputantur obnoxij. Actus in vtroque foro nulli sunt, & infirmi: Excommunicationis reatui, & beneficij cuius bona fuerunt alienata priuationi subijcitur, siquè post alienationem, quiuis celebrare præsumpserit in foro conscientiæ, etiam ante Iudicis declarationem irregularitatem incurrit, & perpetuò eiusdem beneficij incapax efficitur; & tandem per sententiam deponi possunt, alijsque damnantur pœnis, quas apud D. D. fusius videre poterit vnusquisque.

Procuratores, Magistri, & Ecclesiarum Æconomi, qui per præces, seù munera alienationis decretum quodcumque extorserint, quiuè scienter, vel per fraudem alienationem in damnum Ecclesiæ fieri permiserint; excommunicationem Papæ reseruatam incidisse sciant.

Vt nullus ignorantiæ causam adducere queat ambages omnes resecare nixi sumus; Sciant quocirca cuncti alienationis nomine comprehendi omnem actum per quem transfertur dominium directum, vtile, vel vsus fructus, aut quodcumque ius, vt sunt donatio, venditio locatio ad longum tem-

pus,

pus, emphiteusim in casibus in d. Extrauagan. non exemptis, Census, Hypotheca, Transactio, Litis cessio, ac Iurium, impositio seruitutis, arborumque incisio.

In alienationibus duo copulatiuè, nempè iustam Causam, & solemnitatem scil. Assensum Apostolicum necessariò requiri Rectores meminerint cuncti. Causas iustas quatuor esse sciant, necessitatem, vtilitatem, pietatem, & incommoditatem.

Necessitas est cum æs vrget alienum; & similis.

Vtilitas, vt res melior, maior, vel vtilior habeatur. Pietas vt prò captiuorum redemptione, pauperumque alimentis, si aliter prouideri nequeat.

In commoditas quando res est magis Ecclesiæ damnosa quam vtilis.

Si quem Clericorum bona patrimonialia ad cuius titulum promotus fuit absque nostra licentia, ipsis, constito quod aliundè viuere possit maturiùs concedenda fortasse alienare contingerit, Parochorum diligentiam in nobis certiorandis absque mora desideramus, vt iuxta Sac. Can. per Sacros. Trid. Conc. innouatas pœnas, eos pastoralis sollicitudo nostra compescat.

Nostræ Diœcesis Rectores Ecclesiarum, siuè Beneficiorum bona meminerint, non more mercenariorum gubernare, ne eorum incuria tenuiores relinquant, quos crassiores receperunt fructus. Hoc ad Præsulatus nostri auditum, non modo fide digna perduxit relatio, sed oculis cernimus, manu tetigimus, quo enim Rectoris exardescit ingluuies, eo maior diuini cultus exaugetur depressio; hoc Sacris operimentis denudatum iacet Altare, illius

Icon

Icon non vetuſtate, ſed Rectoris negligentia pendet attrita; hi temporalium Dominorum timore conterriti annuos, vt plurimum non exigunt fructus, alij neceſſariorum conſanguineorum, vel affinium beneuolentia conniuent, adeò vt eorum ſegnities, etiam animabus in Sancto Purgatorij igne purgantibus potiſſimum obeſſe noſcatur. Apoſtolicam etenim quandoque ſibi arrogantes facultatem Miſſarum certa onera ad redditus, multoq; minus ſatisfaciunt ratam. Corruptela, quantò ſimilia patrantium Conſcientiæ perniciosiſſima; tantò animum Paſtoralemque ſollicitudinem defatigans noſtram. Quicunque igitur Eccleſiæ cui præpoſitus fuit bona, atque redditus alienari, occupari, vſurpari, negligique permiſerit; quiuè timore compulſus, vel beneuolentia adductus affinibus, conſanguineiſque locauerit, & Iura quæcunque minui, lædiquè conſenſerit, præter pœnas à Iure inflictas alijs arbitrio noſtro ſeuerè punietur.

Contingit quandoque quamplures in Eccleſiaſticorum odium eorundem Conſanguineos, vel affines carcerare percutere, eorumque bonis, gradibus, & dignitatibus ſpoliare, iniuſtè perſequi, & indirectè grauare, eorumquè Colonos impoſitionibus, & Collectis, vltra quam par eſt afficere, & indirectè onerare, hoſce proindè libertatem Eccleſiaſticam indirectè turbantes Excommunicationis vinculo Iudicio noſtro reſeruatæ innodari, inter Miſſarum ſolemnia, quilibet quandoque denunciet Parochus.

Iurium, ſcripturarum, & inſtrumentorum Eccleſiæ, & beneficij quiſque diligens Cuſtos ſit ſui, vt illa firma ſub claue recondita, nulla temporum, ac

per-

personarum vicissitudine pereant. Rectore igitur quocumq; ab humanis decedente Parochus, scripturas, quas prædefunctus habebat non segnis describat, & ad nostram Curiam Inuentarium, successori consignandum transmittat.

Detestabilem nonnullorum nequitiam ferre nequeuntes, qui quandocunque Episcopalis Sedis vacationis casus euenit Mensæ Palatia Turcarum more depopulantes, nedùm mobilibus quibuscunq; denudant, seraſque è Ianuis rapiunt, & abstrahunt, sed Cancellariæ Episcopalis processus, scripturas, & acta singula voluunt, & ex libito intercipiunt; eis propterea qui in casu huiusmodi mobilia quæcunque à Palatijs Episcopalibus subrepserint Excommunicationis sententiam successori Episcopo tantùm reseruatam seuerè iniungentes mandamus, vt clauis Archiuij per Actuarium, siuè Cancellarium, qui actualiter in casu dictæ vacationis exercere compertus fuerit, tandiù diligentèr custodiatur, & penès ipsum sit, donec successori Episcopo per eundem fideliter tradatur, & consignetur; qui secus fecerit, etiam Vicarij Capitularis authoritate intercedente ducatorum centum, arbitrio Episcopi erogandam pœnam incurrat.

Ad ambitiosam illorum, qui bona Ecclesiastica, seù Ecclesiastica Immunitate gaudentia temerè, occupare, seù occupari facere non pertimescunt, perfidiam confutandam, subscriptum Sac. Concil. Trid. Capitulum, quilibet Parochus vulgari eloquio, paternaque lingua quolibet quatrimestre Populo nunciet.

Se l'auaritia radice de tutti li mali in tanto occuperà l'animo di alcun Clerico, ò Laico di qualunque dignità

gnità risplenda, anco Imperiale, ò Reale, che presuma per se, ò per altri con forze, ò con timore, ò vero anche per suppoſte persone de Chierici, ò Laici, ò vero con qualsiuoglia sorte, ò procurato colore conuertire in proprio vso, & occupare, & impedire che non si riceuano da coloro à chi di raggione toccano le giurisdittioni, beni, censi, e ragioni anco feudali, & emphiteutiche frutti, emolumenti, ò vero qualsiuogli anco conuentioni, che si deuono conuertire per le necessità de Ministri, e de poueri, siino di Chiesa, Monte di Pietà, ò di altri luoghi pij; Costui per tanto tempo soggiaccia alla maledittione, e scommunica maggiore sinche per intiero hauerà restituito alla Chiesa ò all'Amministratore Beneficiato di essa le giurisdittioni, beni, robbe, ragioni, frutti, e rendite, c'hauerà occupato, ò pure anche per donatione di suppoſta persona, gli saranno capitate alle mani, & anche dopò la restitutione sudetta, sinche hauerà ottenuta l'assolutione dalla Santità del Sommo Romano Pontefice. E se costui sarà padrone della medesima Chiesa, oltre le pene già dette, sii anche, e resti subito priuo del Iuspadronato. E quel Chierico il quale sarà stato Fabricatore, ò consentiente à tale scelerata frode soggiaccia alle sudette pene, & in oltre resti priuo di qualsiuogliano altri beneficij coll'inabilità da potere ottenerne altri, & anco dopò che hauerà fatta l'intiera sodisfattione, e dopò che hauerà ottenuta l'assolutione resti sospeso dall'esercitio de suoi ordini ad arbitrio del suo Ordinario.

Librum in quo cuncta Ecclesiarum, & piorum quorumcumque locorum, bona, prouentus, census, cum nominibus, cognominibus, finibus, & locis designata, & descripta sint, quiuis habeat Rector: vt censuum, & reddituum annuas solutiones bonorum

rum locationes Iura, oneraque prænoscens Ecclesiarum, & locorum in quibus constituti sunt prouidè consulant vtilitati, suique muneris fortasse defectus nulla vmquam valeant tergiuersatione cohonestare.

In bonorum Ecclesiæ locationibus necessarias solemnitates per Candelæ accensionem omnes præmittant, quæ non vltra quatriennium vigore priuilegiorum huius nostræ Diœcesis plus offerenti intrà limites iusti prætij, & tunc pariter conductorum, siuè licitatorum qualitate pensata liberentur; in non leuis momenti infimul fide iubentis cautione se firment, Ecclesiæ cuiusque Patrimonium vndequaque ex cultum singulis annis, vel per se, vel per alios explorantes inuisent; benè operantes commendent, segnes verò, & malè agentes increpent, & si opus est remoueant Colonos; reparatisque reparandis Ecclesiastico, vt conuenit, prospiciat æri, quæ enim eorum segnitie perierint bona stricto iudicio vendicabimus.

Et ex Bulla Cænæ Domini.

E *Scommunicamo ancora, & anthematizzamo quei che vsurpano, e sottragono le giurisdizioni, frutti, rendite, ò prouenti appertinenti à persone Ecclesiastiche, e per loro ottenuti; ò vero per qualsiuoglia occasione, ò Causa le sequestrano senza espressa licenza del Pontefice Romano, e parimente quei che impongono collette, Decime, taglie, prestanze, & altri pesi alli Chierici, Prelati, & altre persone Ecclesiastiche, ò che l'impogono à loro beni, ò delle Chiese, Monasteri, ò ad altri Benefizij Ecclesiastici, ò sopra i frutti rendi-*

re, e proueniti di essi, e che con diuersi modi li riscuotono, ò vero le accettano, e riceuono anco da chi spontaneamente glie le dà senza espressa licenza del Sommo Romano Pontefice.

Meminerint etiam Parochi saltem ter in anno in eorum Ecclesijs quando maior adest Populi concursus notificare decretum Excommunicationis latæ contra detentores, Vsurpatores, & Occupatores bonorum Ecclesiasticorum, sub datum in S. Visitatione die 19. Maij 1679. cuius absolutionem Rom. Pont. reseruauimus.

Cætera quæ de Procuratoribus diximus non absre etiam ad huiusmodi negotium auocamus; cum enim Rector Æconomus, Procurator, siuè Præpositus vices suas, vt queritur gesserit bonorum omnium erit in pace possessio.

De Montibus Pietatis, Confratriis, & Hospitalibus.

CAP. V.

TErrestrem pauperum, & miserabilium personarum thesaurum loca pia Pietatisque montes quis non esse contendet? Thesaurum, quo multorum indigentiæ fauetur, Testatorum, & eorum à quibus relicta, & instituta fuerunt, animabus succurritur, & famis tempestas extinguitur; vtinam in nostræ Diœcesis locis, quæ iam diù instituti fuerunt, extarent, & ab ijs quibus commendata existunt, non distracta, alienata, consumpta, & ad nihilum redacta forent, locorum huiusmodi institutionem, & conseruationem ad nos spectare

pro-

profectò scimus, sed fruſtrà vigilat, qui nil quod custodiat habet. Frumentorum acerua, pecuniarum congestus, siuè nigrum, siuè discolor depopulatum fuerit agmen hic nescit, ille reticet; Eo nonnullorum se traxit iniquitas, vt cum substantia, & cõputorum libros conuolasse percepimus; quem conscientiæ non comprimit stimulus, non legum, non vocum compescunt tonitrua. Anathematis gladium adeò nequitiæ hic excipit clypeo, vt quasi non sibi, sed alteri officiens non aure audit, nec opere complet. Quorum hoc culpa hactenus accidat, siuè Ministrorum, siuè Rectorum me quidem fallit videant ipsi; ne tamen in nostro munere ad vices deficiamus hæc breuiter statuenda decernimus.

Sicubi Montis, & Pia loca hactenùs instituta non fuerint, vt instituantur eos in Domino hortamur, quibus Deus diuitias largitus est affluenter, hic enim in Cœlo vbi fures non furantur thesaurizzare recordetur; vbi verò iam instituta perierunt Parochi, Sacerdotesq: omnes vices induentès nostras, imò Seculari; si opus erit implorato præsidio, quod perierat restituere, quod dìstractum recuperare conentur, ne alij onfacium comedant, & dentes nostri obstupescant.

In Montium, & Piorum Locorum, Procuratores, siuè per vota eligantur, siuè ex vrna extracti, singulis annis in festo consueto deputentur. Illorum qui causam cum locis ijsdem habuerint, quiuè eorundem debitores extiterint, seù Excommunicationis vinculo vinctos esse contigerit electionem infirmamus, irritamque decernimus.

Quorum elegerint Nobis, & nostræ Curiæ nuncien-

cientur nomina; quiuè probati fuerint ſpirituali de bene adminiſtrando coram noſtro generali Vicario conſtringantur vinculo; alioquin ſub anathematis pœna adminiſtrationem quamlibet ipſis interdicimus.

Aliquo ex electis miniſtrare renuente immediatè per eos, quorum intereſt eligatur alius; ſi verò hic pariter hoc onus excuſſerit ad noſtri libitum deuoluatur electio.

Pecuniarum, & frumenti quantitates, ac ſummas debitorumque nomina proùt pignora, quæ à die mutui ſextum minimè exceſſerunt menſem, antiquus, moderno numeret, conſignet, & in libro deſcribat Procurator, cui vltrà annum adminiſtrationem ſub Excommucicatione prohibemus.

Adminiſtratorum præcipuum erit pecunias, frumentum, ac pignora à furum inſidijs, murum, humiditatis, caloris, ſiuè tinearum corroſione, omniq; prorſus damnoſo periculò præſeruare; locorum capſarumque Seras, diſparibus, firmiſque præmuniant clauibus; quarum alteram ſemper penès ſe loci habeat Parochus; cuius autem aliquid perierit culpa, eius totum proprijs reficietur ſumptibus.

Pecuniarum, ſiue frumenti ſummas ita diſtributiuè mutuandas forè præcipimus, vt nullo quorumcunque ſeruato delectu quæuis querelæ procùl abſit occaſio. Pauperum quorum indigentiæ huiuſmodi præſidio proſpectum fuerit ſemper cauſa ſit potiſſima.

Piorum locorum, ac Montium perpetuè indemnitati duplicibus ferè pignoribus cauendum eſſe præcipimus; vltrà quatuor aureos totidemuè frumenti modia mutuum nemini concedi poſſe ſtatuimus;

mus; si secus factum fuerit Magistrorum periculo fiet, & Parochus vindicem manum nostram sensiet, nusquam etenim pignus reluetur, quod mutui extimatione tantundem, & minus forsan valere reputatur.

Ad litium occasiones pellendas nomen, & cognomen recipientis, quantitas, & species, mutuiq; numerus, & rei, quæ loco pignoris succedit duobus connotentur libris, altero Parochi, altero verò Magistri, siuè Procuratoris manuscripto, ex quibus binas, vniformesque exemplent schedulas, alteram pignoribus consuendam, alteram ei, cui mutuum conceditur consignandam; vt restitutionis aduenientе tempore fideliter facilioriquе studio quisquis quod suum est tollat.

In puellarum maritagijs, siuè dotibus erogandis, Testatoris in omnibus seruetur voluntas, pioque huic operi Parochorum, vt cum maximè non desit auctoritas. Siuè inter pauperes, siuè prò hæredibus, & familia sint dotes erogandæ, primæuè institutionis inuiolabiliter seruetur conditio. Si quæ nupta absque liberis decesserit ad Montem vndè exiuit dotis alteri erogandæ puellæ retrocedat largitio; ni aliter à fundatore cautum fuerit. Illorum qui per Parochum moniti, mutuum in specie, ac bonitate simile transacto semestre non restituerint protinùs fiat auctio pignorum; quod pluris debito licitari contigerit, pignorum Domino restituatur, & quicquid deerit Procuratores ex ære reficiant suo; & auctionem quamcunque ante Montis ianuas publicè faciendam perpetuo libro Parochi annotare non negligant.

Mutuum quandocunque gratuitam concessio-

nem

nem ad certum tempus esse neminem latet, ideò sub ne quidem minimi pactione, absque vsuræ labe fieri posse vetitum est. Si quis verò ex sui libito gratuito prò Montis manutentione, atque conseruatione aliquid minimum vltrà quam habuerit mensuram erogare voluerit, Parochorum iudicio, & probatæ locorum linquimus consuetudini. Administrationis ratiocinium Parochus annis conficiat singulis, in ijsdemque describat, & reducat libris; Quiuè modernus Procurator prædecessoris sui vltrà mensem à die administrationis distulerit rationem, libras viginti ceræ albæ Cathedrali nostræ persoluat; quiuè per rationales ad aliquid satisfaciendum Monti, siuè alteri damnatus fuerit infrà bimestre tempus omninò persoluat.

Piorum locorum, pietatisque Montium fructus, census, & Iura quæcunque Ecclesiasticæ rei naturam imbuere, ac retinere certum est; qui igitur illa ex libito distrahere, vendere, permittere, cedere, & quomodolibet alienare, occupare, vel sibi appropriare præsumpserit supracitatas contra bona Ecclesiastica alienantes inflictas, nullo modo effugiet pœnas.

Ei qui antiquum non restituit, nouum mutuum, siuè locationem quamcunque concedere caueant Administratores; proùt Vniuersitatibus, & Collegijs accomodari posse prohibemus, harum enim occasione similia loca consumpta esse videmus.

Pauperum curam Apostolo testante nobis Christus Dominus præcipuam esse voluit; ijs proindè pientissimè succurritur, si Hospitalia, & huiusce generis alia loca pietati consecrata construantur, in ijs enim valetudinarij parentibus orbati, infantes

ex-

expositi, perpetuis morbis obsisti, Peregrini, aliæq; miserabiles personæ recipiuntur, aluntur, & foouentur. Vbi igitur eiuscemodi loca constructa, Sarta tecta teneri, vbi verò dissipata, restaurari, ac renouari mandamus.

Talium locorum gubernationem non nisi prouidis, & discretis bonique testimonij viris committendam fore statuimus, qui instar Tutorum, & Curatorum fidele de locorum ipsorum bonis Inuentarium conficiendo administrationis suæ annis singulis in nostri Vicarij manibus erunt ratiouem reddituri.

Hospitalia ijs, quos prædiximus miserabilibus personis accomodatis validis mendicantibus, non solum sint clausa, sed hisce similibus publicè, ac ostiatim emendicare sit penitùs interdictum; eos enim qui morbo, ætate, aut debilitate detenti suis manibus laborare, victuque ac vestitum sibi comparare nequeunt, non immeritò nostris, aliorumuè piorum hominum largitionibus conuenit victitare.

Qui neglectis miseris, pauperibusque Peregrinis, quibus Hospitalia dicata sunt, ex priuato affectu, non modo validos, sed quibus victus ac vestitus suppetit, vt tantum commodiùs, & in otio viuant, hospitari maluerit, vt pauperum depredator, & illorum sanguine saginatus acriter punitus, tamquam indignus ab officio remouebitur; Peregrinis tamen prò refectione tantum, non autem in indigenarum, ac pauperum fraudem pro inhabitatione loca huiusmodi patere volumus.

Hospitalium Præsides, ne Iudam imitari videantur, qui loculos, ex quibus pauperibus distribuebatur

batur ferebat,& fuerat,ne ſicut ille,& ipſi pereant; nouerint ſe tali addictos muneri non vt ſui, ſed vt pauperum Curam gerant, quos neglexiſſe, occidiſſe eſt; quibus quid ſubtraxiſſe Sacrilegij inſtar eſt; & qui cibos pauperum ſibi vſurpant æterni ſupplicij ſe reos eſſe recordentur.

Huiuſmodi locorum ſupellex, & præſertim cubilia, ſic ordinatè componant, & munda nitidaque ſeruentur, vt eius muneri ſatisfacientes Deum, quem Hoſpitio ipſi exceperunt in terris, eundem hoſpitem experiantur in Cœlis:

Vbi alicuius corporalis infirmitas Medicum poſtulauerit, ibi priùs animæ, deindè corporis accerſiri debet Medicus, quæ enim animarum ſalutem exigunt ea cæteris omnibus præmittenda fore nulli dubium eſt.

Vt mulieres à viris, & minores pueros à maioribus natu omninò ſeiunctim recipiantur,& accubent quiuis prudens omni ſtudio curabit loci Magiſter: ni per authenticas, ſideque dignas teſtimoniales litteras primò conſanguinitatis, vel affinitatis gradibus inuicem coniunctos eſſe conſtiterit, ne charitatis bonum peſſimum malorum fouere noſcatur vitium.

De Indulgentiis. CAP. VI.

QVo infinitus Indulgentiarum theſaurus Chriſtiano Populo magis ſalutaris, & neceſſarius eſſe dignoſcitur, eo diligentiùs, ac ſanctiùs ditribuendus erit; hoc enim ij qui illius adoptionem ſortiuntur, peccatorum cunctas pœnas reluũt, & earum loco Chriſti Domini, Sanctorumque meri-

rita

rita succedunt; vt vè Sancta Sanctè, & religiosè tractentur, neuè illarum dispensatione error inter nascatur aliquis, nouarum Indulgentiarum, miraculorum, & reliquiarum, qualibet publicationem, & ostentionem, etiam Regularibus, exemptisque vetitam esse volumus; quiue Parochus, siue alius, quicumque id sibi ex libito arrogare præsumpserit ducatorum viginti pijs erogandam locis non euadet pœnam.

Diebus quibus Indulgentiarum effectus occurrit, & vsus in valuis Ecclesiæ, vbi concessæ existunt Tabellula, in quâ litteris sit formatum masculis: *Indulgenza Plenaria*: Suspendatur, vetustumque morem de Originali apponendo Breui, tollimus, & improbamus.

Quæstuarij, qui huiusmodi Indulgentias in aliquo Diœcesis nostræ loco publicare, aut eleemosynas absque nostra licentia publicè quæstuare auxi fuerint per Parochum detineantur, donec à nobis super illorum facultate, & qualitate resolutum fuerit.

De Legatis Piis. CAP. VII.

VT fidelium pias quascunque dispositiones inuiolabili exequamur iudicio, & ijs quorum interest, eas, vt vidimus nullis retardent suffragijs, omnibus proinde Notarijs alijsque, tum Ecclesiasticis, tum secularibus, qui quorumcumque Testamenta, piasque dispositiones, & legata rogauerint, & quomodocumque descripserint, excommunicationis interitum incurrisse prædicimus, si infrà mensem à Testatoris obitu, cuiusque pij le-

gati, ac dispositionis notulam nobis vel nostræ Curiæ significare neglexerint.

Si verò qui legitimo cessante impedimento, legata quæcumque piasque Testatorum voluntates vltra annum exequi neglexerint, Excommunicationis pœnam se nouerint incursuri.

De Diœcesana Synodo. CAP. Vltimum.

SIngulis annis die vigesimâ secundaMaij festo S. Casti Patroni indicimus Diœcesanam Synodum in nostra Ecclesia Cathedrali ibique ex nunc prò tunc vniuersum Clerum Diœcesanum monemus, quatenus iuxta antiquissimum, probatissimumque vsum singuli conuenire, & Processioni generali interesse, iusque Cathedraticum soluere debeant.

Vt igitur cuncta quæ in hac nostra Diœcesana Synodo statuimus, ad maiorem Dei Laudem, & Gloriam, nostræque Diœcesis spirituale profectum opere compleantur, Ecclesiasticos omnes in Domino monemus quatenus constitutiones hasce nostras præmanibus sæpè habentes oculis cordis magis, quam corporis inspiciant: Hoc enim cum Sacro Paræmiaste optamus, vt scil. *Scribant illa in Tabulis Cordis, ligent ea in digitis, & habeant legem quasi pupillam oculi.* Nil enim proderit lex in paginis nisi iugiter obseruetur oculis, assiduè tractetur digitis, profundeque cordibus insculpatur, vt emolumentum, quod Ecclesia: promittit reportemus: *Si volueris*, enim inquit *Mandata seruare, conseruabunt te.* Quod vt Dominus operari dignetur præcamur. Amen.

LAVS DEO, ET B. V. MARIAE.

COLLECTANEA CONSTITVTIONVM SYNODALIVM

SVB

Illustrissimo, & Reuerendissimo Domino

VINCENTIO MARIA DE SILVA

Ord. Prædicatorum Episcopo Caluensi

Emanatarum, & publicatarum ab anno 1681. ad annum 1698.

Post celebratam de anno 1680. Diœcesanam Synodum, vndequaque absolutam singulis sequentibus annis, vel necessitate vrgente, vel contumacia crescente nõnulla explicare, denuò inculcare, & noua addere per sequentes Constitutiones necessarium duximus, quas insimul redactas, & per Capita dispositas iuxtà eandem seriem dictarum Cõstitutionum anni 1680. imprimi curauimus, ad totius Diœcesis vtilitatem.

De Doctrina Christiana.

ANno 1682. Cum in Sancta Visitatione compertum sit quamplures nèdùm puoros, sed etiàm adultos Eruditione indigere de pertinentibus ad Doctrinam Christianam, & ad Mysteria nostræ Sacrosanctæ Fidei; Ideò Canonicis, Parochis, cæterisque curam animarum exercentibus districtè iniungimus, quatenùs ipsi, & ipsorum singuli populo sibi commisso singulis diebus festiuis Do-

ctrinam explicent Christianam ad formam Cathechismi Romani, & hoc per integram horam antè illam assignatam prò horis Vespertinis recitandis, singulis mensibus respectiuè, vt in tabella Diœcesanæ Synodus dicti anni 1680. sub pœna ducatorum 25. pijs Vsibus &c.

1683. Parochi cæterique curam animarum quomodolibet sustinentes prouideantur de libris tractantibus de Doctrina Christiana, & præcipuè de Cathechismo Romano, ac eorum lectioni assiduè incumbant memores Doctrinæ *Diui Thomæ* 2.2.*q.*2. *art.* 6. *in Corpore*, *scilicet homines ad quos pertinet alios erudire teneri ad habendam plenioremnotitiam de credendis, & magis explicite credere.* Vtue, quæ didicerint ex debito ægentibus proponant singulis diebus fæstiuis de præcepto (Quocumque impedimento non obstante) Canonicus Hæbdomadarius in nostra Cathedrali, & Parochi, siuè eorum substituti, cæterique Ecclesiarum Rectores in suis respectiue Ecclesijs Doctrinam Christianam spatio ad minus vnius horæ populum vt supra ædoceant sub pœna suspensionis à diuinis ipso facto, absque alia declaratione incurrenda, cuius absolutionem nobis tantummodo reseruamus.

1683. Quoniam occasione interessendi Conferentiæ Casuum Conscientiæ, vt Constitutum fuit in Synodo Diœcesana anni 1680. sess. 1. cap. 5. nonnulli à prædicto onere explicandi Doctrinam Christianam totaliter, vel vt plurimū se eximūt ad huiusmodi subterfugia eliminanda volumus, & mādamus conferentiā prædictam transferri ad feriam quartā cuiuslibet hebdomadæ, quod si ipsa fuerit impedita à festo de præ-

præcepto, Conferentia transferatur ad diem feriatum, Doctrina verò Christiana semper habeatur in omnibus diebus festiuis sub pœnis aliàs positis.

1689. Pertinaciam Patrum Matrum, & Patronorum quorumdam, qui animarum suarum, & eorum, quibus præsunt salutis Immemores detinendo, vel negligendo suos respectiue filios, & famulos, Doctrinæ Christianæ interesse omnibus diebus festiuis egreferentes; Parochis proindè, cæterisque curam animarum quomodolibet exercentibus districtè iniungimus, quatenùs quilibet librum conficiat nomina continentem, nedùm puerorum, verum etiam adultorum omnium Rudium, ad dignoscendum, quinam deficient in conueniendo ad Doctrinam Christianam, & cognito defectu non Ærubescant publicè, & priuatè increpare tàm dictos adultos Rudes, quàm eorum Parentes, & Dominos. In explicatione verò Euangeliorum diebus festiuis publice arguant adultos Doctrinam Christianam nescientes, & nostræ sacrosanctæ fidei Mysteria ignorantes: & insuper increpent ipsorum Parentes, & Dominos præfatos impedientes, vel negligentiam adhibentes ipsis explicando, quàm graue peccatum sit talis negligentia, & impedimentum, sub pœnis alias positis.

1691. Occasione Sanctæ Visitationis pluries pertractauimus Adultos quamplures in addiscendo Doctrinam Christianam, & nostræ sacrosanctæ fidei Mysteria in eadem eorum ruditate permanere, adeò vt quamplurimi suprà duodecimum, & tertium decimum annum adhùc Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum saltim in Paschate non receperunt:

Quod si in dicta etate constituti sint culpabiles videant ipsi : Nos autem volentes de opportuno prouidere remedio Canonicis, & cæteris quomodocumque curam animarum substinentibus iniungimus perpetuam vigilantiam super explicatione Mysteriorum nostræ Sacrosanctæ fidei, instructiones à nobis aliàs datas, & constitutiones alias emanatas inconcussè obseruando, tàm circà pueros, quàm circà adultos, & eorum Parentes, ac Dominos publicè docentes eos peccatum mortale incurrere pro huiusmodi trasgressionibus: Occasione autem Sacramentalis Confessionis, debita dirigantur prudentia ad suspendendum eis beneficium Sacramentalis absolutionis, siue Sacrosanctæ Eucharistiæ.

Meminerint etiàm benè perpendere illud *Trenorum cap.4. Paruuli petierunt Panem, & non erat qui frangeret eis*. Panis enim doctrinæ frangendus est paruulis minoris capacitatis, vt ipsum panem deglutire valeant, vt alias, & signantèr in anno 1689. statutum est, & hoc sub pœnis ibi appositis.

De Sacramento Confirmationis.

1684. HActenus circa præscriptum Sacrosancti C.T. & constitutionem anni 1680. sess. 1. cap. 4. à nonnullis nomina confirmatorum non adnotantur in speciali libro: Parochi proindè, vel in Ecclesia Cathedrali, vel in eorum Parochijs respectiue in speciali libro nomina confirmatorum, & Patrinorum describant: Canonici verò ne dùm suæ Parochiæ, verùm alienæ Diœcesis Confirmatorum, & Patrinorum nomina in speciali omni-

nò

nò describant ad formàm Ritualis Romani sin secùs pœnam ducatorum decem pijs Vsibus applicandam omninò incurrant.

De Sacramento Pœnitentiæ.

1681. QVemadmodùm in Synodo Diœcesana anni 1680. sess. 1. cap. 5. constitutum fuit singulis Hebdomadibus haberi conferentiam casuum conscientiæ, ità in præsenti injungimus in eadem conferentia deberi proponi aliquas Rubricas super Cæremoniale Episcoporum, Missalis, & Breuiarij Romani, difficultates propositas non solùm resoluendo, sed etiam ad actum exercitum dedu cendo sub pœnis ibi contentis.

Parochi cæteriq; Confessarij ad audiendas confessiones in vna Parochia deputati in alia ad huiusmodi munus exercendum absque nostra licentia nullatenus se ingerant sub pœna suspensionis: Canonicis nostræ Cathedralis non exceptis.

1682. Inuigilent Confessarij ne ad Sacramentum Pœnitentiæ, & multò minus ad Sacrosanctum Eucaristiæ Sacramentum indignos, seu impreparatos admittant. Caueant insuper Sacramentales Confessiones præsertim mulierum alibi, quàm in Confessionalibus sedibus audire etiàm prætextu magni concursus. Proinde Parochi, & Ecclesiarum Rectores, siuè Æconomi eorum Ecclesias respectiuè de sedibus Confessionalibus prouideant iuxtà numerum Confessariorum sub pœna ducatorum 30. pijs Vsibus &c.

1683. Experimento compertum est innumeros etiàm

etiàm adultos noſtæ Sacroſanctæ fidei Myſteria pœnitùs ignorare: Cumque ſuper hoc frequentiſſimè Curatos increpauerimus; hoc ſemper audiuimus ex ſegnitiæ Populi ad Eccleſiam, cùm Doctrina Chriſtiana explicatur, non conuenientis prouenire. At neque per hoc valida foueri excuſatione Curati dignoſcant: ipſorum enim erat eoſdem adultos ignauos monere homines teneri ad explicitè credendum omnes fidei articulos, vt communiter ab omnibus Theologis tenetur, ipſoſque ſic Rudes incapaces eſſe Sacramentalis abſolutionis, vt in Synodo anni 1680. ſeſs. 1. cap. 1. §. 1. declaratum pariterque ſtatutum fuit: Quapropter vt pertinaciæ talium Rudium Adultorum, & Confeſſariorum præcipuè Parochorum negligentiæ pro viribus occurramus, hac noſtra Inuiolabili Conſtitutione præcipimus, & mandamus omnibus noſtræ Diœceſis Confeſſarijs præſertim Curatis, quatenùs antè omnia pœnitentes ſuper ſcientia Articulorum noſtræ Sacroſanctæ fidei interrogent, & ſi ignorantes inuenerint ex nunc prout ex tunc ſciant ipſis ablatam, prout vigore præſentis Conſtitutionis, facultatem auferimus talium Rudium Sacramentalem audiendi confeſſionem.

Meminerint Confeſſarij præſertim Curati Artes quaſdam, vt vocant à mulierculis alijſque ſuperſtitioſis perſonis pœnitùs æliminare, qum ad huiuſmodi recurritur pro aliquo remedio (vt falſo credunt) etiam ad bonum finem: non enim mala facienda ſunt vt bona æueniant: talibus enim Artibus decipiuntur quamplurimi, & in laqueum incidunt Diaboli: Hinc conſcientiæ erroneæ, hinc voluntati Diuinæ reluctantia, hinc Dei miſerationis diffidentiæ,

innu-

innumeraque alia mala oriuntur: Si igitur quomodolibet aliquid superstitionem sapere Confessarij compererint, ab impertiendo Sacramentalem Absolutionem omninò abstineant: huiusmodi enim casum nobis iàm reseruatum esse sciunt, & insuper annexam habere Excommunicationem nobis tantummodo reseruatam.

1692. Quoniam in Synodo Diœcesana anni 1680. inter casus Reseruatos ænumeratur incestus in primo, & secundo gradu consanguinitatis, in præsenti declaramus deberi intelligi de incestu prouenientè, tam per Copulam licitam, quàm illicitam, & ità ponatur in sedibus Confessionalibus.

1695. Confessarij in Audiendis Sacramentalibus Confessionibus pœnitentes specialiter interrogent de Reuerentia, & Veneratione Ecclesijs exhibita, & quatenùs culpabiles inuenerint seueras iniungant pœnitentias; sic enim facientes, quod modo ipsi pœnitentes leue existimantes parui pendunt; postmodum tanquàm graue malum æuitabunt.

Confessarij, cæteriq; curam animarum habentes moneant Administratores bonorum Ecclesiasticorum incurrere pœnam Excommunicationis ipso facto, quomodocunque sibi, vel alijs, etiam ad breue tempus bona Ecclesiarum, siuè Cappellarum, & Altarium accommodauerint.

1698. Nonnullorum malitiam patefacere, insimulque æmendare volentes, qui ad præstandum veritatis testimonium in iudicio de veritate dicenda, iuramentum præstant, & multotiès in Curijs Ecclesiasticorum iurant sub pœna excommunicationis, & tamen veritatem reticent, & præsumunt excusari à

iura-

iuramento falso, & ab incursu excommunicationis prætextu non damnificandi proximum nihil cogitantes de detrimento, & iniuria illata Iustitiæ, quæ suo quandoque detinetur cursu ob prædictorum, falsam depositionem: Parochis proindè cæterisque Confessarijs iniungimus, quatenùs nullatenùs similibus periuris Sacramentalem impertiantur absolutionem, nisi iustitia reintegrata fuerit; Quod si iurauerint sub pœna excommunicationis à dicta censura nõ absoluantur, cum censuras omnes nobis omnino reseruauerimus.

Parochi, omnesque alij curam animarum habentes, nec non Confessarij omnes ab omnibus nostris Constitutionibus Synodalibus extrahant omnia ea, quæ prohibita sunt sub peccato mortali, quæque quocunque modo conscientiam grauant: Insuper autem omnia, quæ reseruata extant in dictis constitutionibus: nec non ea, quibus annexæ sunt suspensiones excommunicationes, ne impertiendo Sacramentalem Absolutionem in alienam Messem manum imittentes, alienarum culparum participes ipsi fiant.

De Sacramento Eucharistiæ.

ANno 1681. In Missis decantandis in posterum numquàm ommittantur Introitus, Graduale, Tractus, siuè Alleluia pro diuersitate temporum, neque Sequentia cùm contingerit, nec offertorium, & postcommunio, quæ omnia suis loco, & tempore decantanda decernimus iuxtà rubricas Missalis Romani: Adhoc autem vt prædicta omni, quo decet de-

core

core adimpleantur omnes Ecclesiæ nostræ Diœcesis respectiuè prouideantur de libris ad Gregoriani cantus vsum: Prouideantur insuper de Dalmaticis quatuor colorum Ecclesiasticorum pro Missis omni cùm decore decantandis sub pœna ducat. 24. pijs Vsibus applicanda.

1684. Quiuis Ecclesiasticus, qui ad satisfactionem onerum Missarum quomodolibet tenetur si se culpabilem senserit in satisfactione suis loco, & tempore non facta consultat conscientiæ suæ, quæque missæ celebrandæ erant illicò celebrari curet sub pœna peccati mortalis, cuius absolutionem nobis, & nostris superioribus tantummodo reseruamus, & hoc in foro conscientiæ: quod si in foro fori aliquem deficientem inuenerimus pœnis iuxta criminis qualitatem seuere puniemus: E hanc constitutionem ad omnes siuè Ecclesiasticos, siuè laicos, qui ex testamento, vel alia quacumque obligatione tenetur ad Missas fieri celebrandum, extendimus, modo, & forma supradictis.

1688. In Ecclesijs, in quibus mos est celebrandi Missam in Aurora, Sacerdotes respectiuè illam celebrantes post Euangelium explicent adstantibus nostræ Sacrosanctæ fidei Mysteria, & præcipuè Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis: Nec non in Dominicis diebus notificent dies festos, & ieiuniorum de præcepto illius Hebdomadæ. Publicent insuper excommunicatos, si qui sunt, Matrimonia contrahenda, desideria ordinandorum, ceteraque omnia, quæ in Missa conuentuali, iustà formam constitutionem nostrarum Synodalium à Parochis adimplenda sunt, & ipsi adimpleant Sacerdotes sub

pœna librarum decem ceræ albæ elaboratæ piis vſibus &c.

Seruent Sacerdotes Conſtitutionem aliàs æditam de Celebrando Miſſas non turmatim, ſed cũ diſcreto interuallo inter primam, & vltimam Miſſam ſub pœna lib. 3. Ceræ albæ pijs vſibus, &c.

1691. Nullatenùs in Eccleſijs noſtræ Diœceſis admittantur Sacerdotes alterius ad Celebrandum, niſi poſt præſentatas in noſtra Curia eorum Bullas, & Dimiſſorias, & tunc concedatur licentia gratis, alias non admittantur.

1693. Sacerdotes, cæterique, qui ad recitandũ Diuinum Officium tenentur, ſiuè publicè, ſiuè priuatè debitam adhibeãt deuotionem, applicationem, atque diſtinctionem in recitandis Diuinis Officijs; Preces enim ſunt, quæ ad Deum funduntur, Opus Dei eſt, quique illud negligenter facit maledictionem Diuinam incidit.

Meminerint Sacerdotes Miſſas celebrantes, nedum de Deo, ſed cum Deo ipſo tractare, ipſumque palpare, interque eorum viſcera ſumere, quod ſi videntes tantum tremunt Angeli, quid debet facere aſſumens purus homo? Conſcientias igitur purgent, deuotionem excitent, reuerentiam adhibeant, quæ legenda ſunt præuideant, quæue præparanda præparent, vt cum Sac. Myſterium peragunt, toti, & totaliter Deo, cui deſeruiunt intenti ſint.

1697. In cunctis Viſitationibus huius noſtræ Diœceſis principaliter laborauimus prò Decore, & Nitore Eccleſiarum, & Altarium: At noſtræ Elaborationi minimè ſatisfactum eſſe comperimus, laceris enim veſtibus, & immundis Sacris lineaminibus

Sa-

Sacerdotes, vt plurimum (relictis integris,& mundis) vſi ſunt: Proindè Conſtitutionem noſtram anni 1680. ſeſſ. 1. cap. 6. §. 2. vbi dicitur laceris,aùt ſordidis indumentis prò Miſſæ Sacrificio ſinè capitalis peccati incurſu neminem Sacerdotem vti poſſe Sacri indicant Ritus , &c. in memoriam Reuocamus. Prò cuius Conſtitutionis obſeruantia ſtatuimus , & mandamus omnibus, & ſingulis huius noſtræ Diœceſis Canonicis,Curatis,Sacerdotibus, Sacriſtis, cęteriſque quibuſque, ad quos quomodolibet ſpectare poteſt, quatenùs Mappas Altaris, Pallas, Corporalia , Purificatoria , aliaque linteamina quomodocumque ad Miſſæ Sacrificium deſeruientia , quàm ſæpiſsè mutẽt, & ſi lacera ſint,ſi taliter quod accommodari poſſint , ſtatim accommodentur , ſin minùs omninò lacerentur , nec amplius ad ſacrificium deſeruiant , quod etiam intelligi volumus de caſulis, alijsque indumentis,ſacerdotalibus,& de ornamentis Altarium ſub pœna ſuſpenſionis quoad Sacerdotes,& excommunicationis quoad reliquos.

De Sacramento Ordinis.

1695. CLerici, qui ad Minores, vel Maiores Ordines erunt promouendi vigore præſentis Conſtitutionis erunt præſentaturi in noſtra Curia Atteſtationes Lectoris , ſiue Magiſtri Grammatices de eorum frequentatione in Scholis, nec non Atteſtationem Curatorum reſpectiuè de eorum ſeruitio in Diuinis, deque exercitio eorum Ordinum, & ſignantèr Atteſtationem de eorum frequenti Aſſiſtentia ad doctrinam Chriſtianam, illam-

que pluries per eorum singulos fuisse explicatam Populo, aliàs non admittantur ad Examen, & seuerè puniantur.

1698. Promouendos ad Ordines, & præcipuè Sacros, nè dùm perfectè linguam latinam, verùm cætera, quæ ad Ordines respectiuè suscipiendos spectant percallere debere absolutum est, vt Ordinum digni reddantur: Proindè assiduitate, qua maxima studijs vacent, Examinatores vero Synodales memores esse volumus iuramenti per eos præstiti de fideliter exercendo Examinatoris munere. Quod si conniuentes fuerint carni respicientes, & sanguini Deo reddituri erunt rationem, super quo ex nunc eorum conscientiam oneramus.

De Sacramento Matrimonij.

ANno 1684. Quod Deus coniunxit Homini separare non licere neminem latet: Quid igitur cum Sponsi in facie Ecclesiæ per verba de præsenti iuncti sunt humanis respectibus detenti copulari nō permittuntur, vt passim inter Sponsos seruari compertum est? Posthac igitur nemini liceat Sponsalia in facie Ecclesiæ celebrare, nisi quæ à Parentibus, siue Sponsis ipsis præparanda sunt, parata existant: sed post mutuum Sponsorum habitum consensum, & post celebrata in facie Ecclesiæ sponsalia nullum omninò remaneat impedimentum, quin ipsi iungantur Sponsi, quod Parochi antè sponsalium celebrationem sedulò animaduertant: Sin secùs & contrà eosdem Parochos, & contrà Sponsos, vel eorum Parentes, quotquot inobseruantes reperiemus

ad

ad exactionem librarum 30. Cæræ albæ, ad quas condemnamus, irremissibilitèr procedemus; Si verò aliquandò, & quàm rarò ob aliquam rationabilem causam à nobis, vel à nostro Vicario Generali probandam contrairi contingerit, licitum nulli esse statuimus, nisi præuia licentia in scriptis, & gratis cõcedenda.

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

ANno 1682. Sacerdotibus omnibus præcipuè Confessarijs, & curam animarum quomodolibet sustinentibus districtè præcipiendo mandamus, quatenus constitutiones 1680. cum protestationibus in cap. 9. sessionis 1. animaduertant, & libros præsertim manuale per vso de RR. Sacerdoti assistenti à Moribondi auctore A.R.S.T.D.D. Iosepho Cerbone, quilibet Sacerdos pœnès se habeat, in ipisque assiduè versentur vt facilitate qua maxima quandocumque casus exegerit ad infirmos eorum animas commendaturi instructi accedant, sub pœnis nostro arbitrio.

De Dxequijs, & Sepulturi.

ANno 1682. Suffragijs mortuorum intenti dilectissimis filijs nostris Vniuersitatum respectiuè officialibus in Domino commendamus, qualitèr singulis annis certa die Anniuersarium cum officio Missa decantata, alijsque quibuscumque pietatis operibus animabus purgantibus certent largitèr subuenire. Sacerdotibus verò, & præsertim curam ani-

animarum habentibus districtè iniungimus, quatenùs populum ad huiusmodi deuotionem sectandam suasionibus, monitionibus atque exemplis sedulo inducant, vt quod ab omnibus fit collectiuè, idem à singulis fiat diuisiue in toto anni Curriculo, per discretam distributionem dierum per sortem.

1690. Decretis Synodalibus anni 1680. circà Exequias, & Sepulturas, adiungimus inhærendo Taxæ Innocentianæ, quod si casus euenerit mortis alicuius absque hæredibus, vel ipsis absentibus, ità vt nemo de dicti Defuncti funeribus curam habeat, neque de eiusdem bonis vel hæreditate: In tali casu RR. Canonici, & Curati respectiuè Inuentarium conficiant cum Assistentia hominum de Regimine loci, vel saltem alioru maturę ætatis, & bonę conscientiæ, bonorum hæreditariorum dicti Defuncti: Post quam vero sepultum fuerit Cadauer nostræ Curiæ transmittant Inuentarium prædictum, vt iuridicè possit procedi aduenditionem prò rata tangenti pro dictis funeralibus, & aliorum onerum, si qui aderunt Reliquum verò asseruetur donec certior habeatur notitia de legitimis hæredibus: Quod si omninò defuerint reliquum bonorum applicetur ad celebrationem Missarum pro anima præfati defuncti, & ità inuiolabiliter obseruetur sub pœna aliàs apposita ducatorum 12. pro qualibet vice pijs Vsibus &c.

De

De obseruantia, & Cultu dierum festorum.

ANno 1688. Nullus cuiusuis status, & conditionis sit audeat dies festos violare opera seruilia exercēdo, & quod peius mandando, & consulendo qui talia quod absit egerint vltrà peccati mortalis incursum pœnā etiàm librar. 20. ceræ albę incurrat, & hoc quoad dicta opera seruilia exercentes: quo vero ad mandantes, quodùè consulentes vltrà dictas pœnas sententiam etiam excommunicationis incurrant: In casibus tamen à iure permissis præuia licentia seruetur constitutio 1680. sess. 2. cap. 1.

1691. RR. Canonicis, & Curatis respectiuè districtè iniungimus vigilantiam pro obseruantia dierum festorum in eorum districtu, & in casu concedendi licentiam nullatenùs recedant à constitutionibus anni 1680. & in casibus ibi ænumeratis.

De Veneratione Ecclesiis Exibenda.

1696. INdecentissimum abusum nouiter introductum nedum à laicis verùm ab aliquibus Ecclesiasticis abolere omninò volentes, sub pœna suspensionis quoad Sacerdotes, & excommunicationis quoad Clericos, vtrisque ipso facto absque alia declaratione incurrenda præcipimus, & mandamus, ne quis eorum in locis publicis, & maximè in Ecclesiis audeat deinceps incedere tecto capite cum vulgo detto il Toccato, seu berettino bianco, Sæcularibus verò in Ecclesiis tantum, idem ipsis interdicimus, & prohibemus sub pœna pariter ante-

antedictæ excommunicationis ipso facto incurrent.

De Horis Canonicis.

ANno 1681. In Missis celebrandis, & Diuino officio recitando à directione Ordinarii Romani nullatenùs discedatur præter festiuitatem S. Casti Episcopi, & Martiris totiusque Diœcesis Patroni die 22. Maii sub *Ritu* Duplici primæ Classis cum eius octaua, & S. Cassii Episcopi, & Martiris die 23. eiusdem sub ritu duplici Maiori, & in nostra Cathedrali die 24. Martii translationis Reliquiarum plurimorum Martirum sub ritu duplici per annum, & Missa desumatur prout in festo quadraginta Martirum die 10. Martii: Nec non titularium in quolibet loco Diœcesis, in quibus diebus necnon in aliis Dominicis, festiuitatibus duplicibus, & octauis exceptis nullatenùs celebrentur Missæ Votiuæ, vel de Requiem iuxtà decretum Fel. Rec. Alexandri Papæ VII.

Decernimus Fæstum Patrocinii B. V. ab Sanctæ Memoriæ Innocentio XI. institutum celebrandum esse Dominica tertia Nouembris. Et quià assistentibus maiori Sacro ab eodem Pontifice concessæ fuerunt Indulgentiæ, meminerint Parochi eas publicare Dominica antecedenti, quod etiam fiat totiès quoties aderint aliæ Indulgentiæ.

1682. Omnes, qui ad recitandum Diuinum officium tenentur omninò dirigantur ab ordinario Romano, nec prætextu quod alicui alio loco, vel Diœcesi indultum sit de aliquo sancto, vel sancta recitari officium sub aliquo Ritu in nostra Diœcesi re-

ci-

citetur, cùm non nostrum, sed Sanctæ Sedis Apostolicæ sit extendere prædictos Ritus, & hoc sub pœna suspensionis per tres menses.

In nostra Diœcesi cùm recitanda contingunt suffragia Sanctorum Sancti Casti Episcopi, & Martiris totius Diœcesis Patroni collecta fiat per illam, quæ incipit Infirmitatem nostram; In Missis verò ad Collectam à cunctis post nomina SS. Apostolorum Petri, & Pauli omninò nomen S. Casti inuiolabiliter apponatur.

In Missis priuatis, & præsente proprio prælato tertia Collecta, non ad libitum neque pro se ipso Sacerdote celebrante, sed vel Ecclesiæ tuæ, vel Deus omnium pro PP. recitetur.

1696. In decursu Octauæ S. Casti Episcopi, & Martiris totius Diœcesis principalis Patroni, ne quotidiè repetantur eædem lectiones de communi poterunt desumi lectiones appositæ pro octaua S. Ianuarij Episcopi, & Martiris, cum eorumdem Martirum gloriosa Passio, & Beata Mors consimiles fuerint Missa statuit, oratio infirmitatem. Euangelium si quis vult.

De Archipresbyteris, & Parochis.

ANno 1689. Canonicus hæbdomadarius pro tempore, & nostræ Diœcesis Curati respectiuè meminerint vigore nostrarum constitutionum Synodalium teneri ad explicandum inter Missarum solemnia contenta in dictis nostris constitutionibus Populum, & Laicos respicientia Proindè omnes nostras constitutiones apud se habeant, perspè legant

ac in ipsis talitèr instruantur, vt qualibet occasione recurrente prompti sint tollere abusus forsan introductos, & quod absit, introducendos.

1691. Meminerint Canonici, & Curati nostræ Diœcesis in comitijs Synodalibus pluriès ipsis iniunctam fuisse assiduam lectionem omnium nostrarum constitutionum, ac etiàm impositum, quatenùs omnia contenta in dictis constitutionibus ad seculares pertinentia saltèm semel in mense populo explicent, idque (negligentia comperta) ipsis Canonicis, & Curatis denuò iniungimus sub pœna ducatorum trium per quemlibet, & pro qualibet transgressione pijs Vsibus.

Iidem RR. Canonici, & Curati respectiuè, cum ob aliquam legitimam causam sacramenta infirmis, vel alijs per se ipsos ministrare nequeunt neminem adhibeant Sacerdotem nisi à nobis approbatum sub pœna suspensionis per 3. menses.

1693. Confessarios omnes in Domino monemus, vt in exercendo suo munere in primis suam conscientiam quisque purget, deindè pœnitentium peccata perpendant, interque lepram, & lepram discernant, vt satisfactiones iuxtà qualitatem delictorum, & personarum imponant, diuinam Misericordiam cùm Iustitia taliter componant, ne pusillanimes desperent, & audaces præsumant: Dolorem de Commissis firmumque propositum de ampliùs non peccando ab omnibus exigant, mæmores numquam Confessarios suo muneri benè satisfeciisse, nisi cùm Pœnitente ægerint dè dolore, dè proposito, & de satisfactione.

1695. Canonicis, & Curatis Vniuersis cæterisque

que quomodolibet curam animarum habentibus districtè præcipimus, quatenùs saltem singulis mensibus Clerum moneant super obseruantia constitutionum Synodalium, & Populo explicent quæ ad seculares spectant ea præsertim, inculcando, in quibus eundem Clerum, & Populum viderint inobseruantes, & signantèr cap. 2. sess. 2. Synodus anni 1680.

Item eosdem Canonicos, Parochos Ecclesiasticos omnes in Domino monemus, quatenùs indefeciente inuigilent super obseruantia nedùm omnium constitutionum nostrarum Synodalium, verùm omnium contentorum in ædictis Generalibus, & decretis Sanctæ Visitationis ab anno 1680. & vltrà: Sin secùs præter rationem Deo reddituram, negligentes seueris pœnis punientur iuxtà defectuũ qualitatem.

De Vita, & Honestate Clericorum.

ANno 1682. Tonsuram in omnibus Ecclesiasticis nostræ Diœcesis cuiuscumque sint, gradus, & conditionis talem debere esse statuimus, vt omninò tondantur capilli, & perpetuo, sint Aures patentes. Breuiores Vestes maximè in Ecclesijs omninò interdicimus sub pœna suspensionis à diuinis per duos menses quoad Presbyteros, & ducatorum 12. pijs Vsibus applican. quoad Clericos.

1683. Experientia docuit Clericos, & proh nephas etiàm Sacerdotes quamplurimos non modò latinæ linguæ intelligentiam, sed meram librorum lectionem in sui muneris neglectum, & secularium fabulas, vt plurimum ignorare, & licet scholas iactent frequentasse extra Diœcesim, ex tali frequentatio-

tatione apparet non scholas, sed plateas cursasse; tempusque teruisse, non alia prorsùs ratione, nisi quià nec virtutis amore, allecti, nec formidine pœnę correcti extrà Diœcesim vbi voluerunt vagantes, Pastoris Increpantis vocem effugerunt: Eapropter cùm scholam Grammatices erigi curauerimus pro Clericorum Diœcesis instructione: & insuper Phylosophię, & Moralis Theologiæ lectorem pro eorumdem Diœcesanorum Ecclesiasticorum eruditione dederimus; Omnibus, & singulis nostræ Diœcesis Clericis studio grammaticæ vacaturis præcipimus, & mandamus dictæ scholæ frequentationem; Cæteris verò Ecclesiasticis in Phylosophia, & Morali Theologia instruendis similiter districtè iniungimus frequentationem lectionum Philosophiæ, & Moralis Theologiæ sub pœnis nostro arbitrio: Ad quorum exactam obseruantiam licentias quascumque eundi extra Diœcesim etiam causa studij hactenus concessas, irritamus, annullamus, & reuocamus, sub oculis enim proprij Pastoris speramus omnes in meliùs profecturos: Prædictis vero præceptori, & Lectori districtè iniungimus, quatenùs commissa eis munia qua decet vigilantia exerceant, si quidùè in eorum discipulis æmendatione dignum repererint seuere corrigant, sique opus est ad nos deferant, vt opportunè prouideamus: Ne autem Clerici laicorum societate dissoluantur expressè prohibemus introductionem laicorum in dictis scholis absque speciali nostra licentia, quam illis tantùm concedemus, quorum probati extiterint mores, & à quibus pro Ecclesiæ seruitio prudentiores eligi possint.

Temerita quorumdam, qui animarum suarum salutis

lutis Immemores, & corporalem etiàm paruipendentes pœnam arma prohibita nedùm domi retinere sed proh scelus illa asportare, & quod execrandum est illis vti ad perpetrandum delicta contrà formam constitutionum Synodalium anni 1680. sess. 2. cap. 7. Emanatarum, in quibus sub pœna triremium dicta arma prohibita nec domi retinere prohibetur: His malis pro viribus occurrere cupientes, hac nostra Synodali, inuiolabilique constitutione sub pœna triremium respectiuè, vt infrà omninò proibemus quæcumque arma prohibita, siuè ferrea, siuè ignea, quæ ad maiorem claritatem vulgò dicuntur Pistoni, Sfratta campagne, Archibugetti, Pistole, Terzette, Smalgiatori, Stilletti, Cortelli à fronda d'Oliua, & alia quomodocumque nominentur prohibita pro omnium, & singulorum talium armorum domi retentione pœna supradicta triremium per tres annos incurratur: Pro asportatione verò supradictorum, & eorum quorumlibet armorum supradicta pœna triremium per septennium incurratur eo ipso: Qui autem, quod absit, illis vel eorum aliquibus contrà, & aduersùs aliquem, vel aliquos impugnare explodere, vel quouis modo offendere ausus fuerit pœnam supradictam per decennium incurrat. Sciant igitur omnes quod quandocumque constiterit aliquem dictæ constitutioni contrafeciſſe eos pœna supradicta respectiuè omninò puniendos esse.

1688. Clerici in eorum Parochiis residentes, nullatenùs, & præsertim in diebus festiuis se eximant à diuinis officijs, Missis deseruiendis, & à Doctrina Christiana seruata inter ipsos accomoda distributione in Missis deseruiendis pro numero Sacer-

cerdotum, & Clericorum sub pœna librarum 3. Ceræ albæ per quemlibet, & proqualibet transgressione.

Opera seruilia, quæ mercenariorum tantùm sunt Ecclesiastici omnes, siuè Sacerdotes, siuè Clerici nullatenùs exerceant sub pœna ducatorum 6. per quem libet, & proqualibet transgressione pijs Vsibus &c.

Nullatenùs Sacerdotes, neque Clerici extrà domum deferant habitum Clericalem statui decentem sub pœna ducatorum 10. piis Vsibus &c.

Sacerdotibus, & Clericis nullatenùs arma prohibita, vt constitutum fuit in anno 1680. & 1683. Non prohibita verò etiàm ad vsum Vænationis absq; licentia asportare vetitum esse pluribus constitutionibus sancitum est. Caueant igitur à transgressionibus sub pœnis aliàs appositis.

1693. Cùm sicut per multos annos per paucos adscripserimus Clericali militiæ vt statum ClericalemAppetentes non solùm spem proficiendi darent, sed vere sufficientes redderentur: Post plures verò annos talis experientiæ aliquos ad Clericalem Tonsuram admisimus; eos proindè sic admissos memores esse volumus se ad Dei, & Ecclesiarum seruitium adscriptos esse, ignominiamque secularis habitus deposuisse, ideoque habitu decenti eos indutos volumus, eisque, & eorum singulis sub pœna ducatorum duodecim, & in subsidium excommunicationis omninò interdicimus breues vestes vulgo dictas Giustacore, e Sciamberga, sed omninò se conforment constitutionibus nostris aliàs editis, tam circà habitum, & Tonsuram, quàm circà omnes bonos

nos mores; nisi enim derelinquant totalitèr vitam secularem in Dei sortem non erunt, & à nobis seuerè punientur: Vt vè in prædictis proficiant, Canonicis nostris, cæterisque curatis iniungimus, quatenùs super eosdem Clericos inuigilent, vt decenter viuant constitutiones synodales obseruent, ludos, omniaque alia praua fugiant, sacramenta frequentent, præsertim in primis Dominicis cuiuslibet mensis, & solemnioribus festiuitatibus, nec non studijs assiduè vacent. Super quibus omnibus dicti Canonici, & Curati trangressores, & transgressiones ad nos deferre non prætermittant, vt debitis Remedijs inobedientes compescamus: Adhoc autem, vt qua decet Charitate eos prosequantur, nostras constitutiones, omniaque alia ad eorum profectum pertinentia aperiant, explicent, & blandis verbis ad obseruandum suadeant, tamquàm de animabus eorum reddituri rationem, quos si obedientes repererint eorum animas lucrati erunt; si verò inobedientes, & rebelles nobis deferendos esse certò sciant. Super quibus omnibus, & singulis eorumdem Canonicorum, & Curatorum conscientias oneramus.

1696. Clerici, qui sunt sub districtu Vicariarum ad nutum locorum Visciani, & Zunorum meminerint ipsos ante erectionem dictarum Vicariatum ad nutum fuisse prima Clericali Tonsura insignitos, & seruitio nostræ Cathedralis adscriptos: Et propterea eos non debere d. nostræ Cathedralis seruitiũ deserere, præcipuè in diebus festiuis, fũctionibus, publicisq; processionibus: Quod si secùs fecerint à nostro Vicario Generali singuli eorum respectiuè mulctentur pœna carolenorum decem pro qualibet

vice

vice fabricæ nostrę Cathedralis ãpplicãda. Canonici verò eosdem Clericos ad seruitiũ d. Cathedralis allicere, nõ desinant, & transgressores nobis denũciare non prætermittant, Memores quam indecentissimę functiones, & processiones per ipsos Canonicos peraguntur ob deficentiam dictorum Clericorum: Quod si conniuentes fuerint nedùm Clericorum, verùm eorumdem Canonicorum vindices erimus.

1698. Adagium est inuenta lege inuenitur, & fraus: Cum igitur pluries in nostris constitutionibus veritæ fuerint Ecclesiasticis breuiores vestes, & in Ecclesijs præcipuè adiuncta sit pœna suspensionis Sacerdotibus celebrantibus Sacrosanctum Missæ Sacrificium, & diuinis officijs assistentibus, nonnulli dictas constitutiones eludendo loco vestis talaris vtuntur alia media veste vt vulgo dicunt Sottanello; huiusmodi malo occurrere volentes omnibus Ecclesiasticis tàm Sacerdotibus, quàm Clericis, Canonicis non exceptis dictas vestes vulgo dictas Sottanello omninò interdicimus sub pœna suspensionis per sex menses quoad Sacerdotes, & excommunicationis quoad Clericos, quas suspensionem, & excommunicationem volumus incidi ipso facto absque alia declaratione; Ità vt peracta transgressione Sacerdotes sint suspensi, & Clerici excommunicati etiam per cedulonum affixionem.

De

De Officio Sacristæ.

ANno 1682. Quæ de Officio Sacristæ constituta fuerunt in Synodo Diœcesana anni 1680. à Parochis, & Ecclesiarum Rectoribus respectiuè seruanda esse statuimus, & declaramus per præsentem constitutionem sub pœnis ibidem appositis, alijsque nostro arbitrio, & signantèr eisdem imponimus Nitorem in Altaribus, & vestibus Sacerdotalibus, vt in dictis constitutionibus sess. 1. c. 6. §. 2.

De Canonicis.

ANno 1681. Canonici nostræ Cathedralis præter Missam Conuentualem (Quæ semper cùm officio conformari debet) Tenentur singulis annis decantare aliam Missam in die consecratis Viuentis Episcopi: Nec non aliam Missam de Requiem tenentur similitèr decantare singulis annis prò vltimo defuncto Episcopo in die depositionis eiusdem.

Quod Canonici teneantur in Choro recitare Officium Defunctorum Psalmos Gradiales, & Pœnitentiales suis temporibus iuxtà Rubricas Breuiarij Romani per sepè in Sancta Visitatione ostensum, insimulq; ipsis iniunctum fuit, sicut, & per præsentem constitutionem illis iniungimus, & mandamus declarantes, deficientes punctandos esse, sicut punctantur, qui non interfunt Matutino, & Laudibus, & ità inuiolabiter obseruetur sub pœna omnibus Canonicis non faciendi fructus suos.

1697. RR. Canonicis nostræ Cathedralis eiusdem seruitium in Domino quamplurimum commendamus, illud ipsis insinuantes, quod quemadmodum pauperibus Sacerdotibus seruitium Eccle-

fiarum non habentibus licitum est ad eorum sub-
stentationem stipendia Exequiarum alibi recipere
Canonicis verò vti dignitate præditis seruitio Ca-
thedralis obligatis, stipendijs præbendatis indecorũ
est seruitiũ suę Cathedralis deserere pro interesscdo
alibi exequijs, & funeribus: Proindè omnibus, & sin-
gulis nostræ Cathedralis Canonicis id omninò inter-
dicimus: Si tamen contingat pro aliqua persona ad
funeralia capitularitèr inuitari minime prohibemus,
sed fieri statuimus post expletis d Cathedralis om-
nibus functionibus iuxtà formã Tabulæ Horariæ, quę
habetur in Synodo anni 1680. sessione 2.ca.5. Et
tunc eos debere accedere capitularitèr, & cum ve-
stibus Canonicalibus decernimus, & declaramus
sub pœna ducati vnius per quemlibet, & pro qualibet
trangressione Fabricæ dictæ Cathedralis applican.

De Visitatione.

ANno 1692. Quia multis ab hinc annis, quæ
pro decore domus Dei in sancta visitatione
decreta fuerunt obliuioni demandata sunt, vt com-
perimus, adeò vt, quæ in visitatione vnius anni de-
mandata in Visitatione alterius non sunt inuenta
adimpleta: Et sic additis decretis secundæ Visita-
tionis ad primam videantur decreta grauiora, non
quia graues sint, sed quià adimpleta non fuerunt,
indè fit, quod, nec ista, nec illa adimplentur. Cui
malo prò viribus occurrere cupientes hac nostra
Diœcesana constitutione sub pœna libr.6.ceræ albæ
omnibus, & singulis RR.Canonicis, & Curatis Vni-
uersis nostræ Diœcesis respectiuè mandamus, qua-
tenùs elapso termino præfixo in emanatione decre-
torum Sanctæ Visitationis certificare habeant, & de-
beant nos vel nostram Curiam tàm de adimplemen-

to

to dictorum decretorum, quàm de decretis non adimpletis infrà terminum in Sancta Visitatione appositum, & ità inuiolabiliter obseruetur..

1696. Inherendo constitutionibus alias emanatis, quilibet siuè Ecclesiasticus, siuè secularis Sanctæ Visitationi quomodolibet subiectus singulis annis infrà dies quindecim post Sanctam Visitationem expletam nostram personalitèr adeat Curiam recepturus extractam decretorum emanatorum in dicta Sancta Visitatione gratis, ne excusabiles sint si quæ ordinata sunt infrà præscriptum tempus non adimpleuerint; Si autem deficientes inuenti fuerint contra transgressores procedetur ad exequtionem omnium pœnarum contentarum in dd. decretis.

De Bonis Ecclesiasticis.

ANno 1689. Procuratores, Magistri, Æconomi, seù quocumque alio vocentur nomine, qui Ecclesiarum, Altarium, aliorumque locorum Ecclesiasticorum curam habent assidui sint in exactione redditùum dictorum locorum Ecclesiasticorum, ex eorum enim negligentia quandoque prouenit Missas non satisfieri, diuina Officia non recitari suppellectilia, & reparationes prorrahi, aut negligi. Proindè supradictis iniungimus sub pœnis nostro arbitrio, quatenùs cùm effectu debitores quoscumque iuris, & facti remedijs opportunis cogant ad solutionem.

1692. Quoniam in Sancta Visitatione competimus Administratores bonorum Ecclesiasticorum, non ità vt par est de dictis bonis disponere, quamplures enim vel ad proprium, vel ad consanguineorum aut amicorum commodum bonis Ecclesiasticis


image
not
available

funduntur non sinè maximo dubio integritatis: Próindè omnibus, & singulis præsentibus, & futuris administratoribus bonorum Ecclesiasticorum sub pœna excommunicationis ipso facto absque alia declaratione incurrenda nobis reseruatæ districtè præcipiendo mandamus, quatenus ipsi, & eorum quilibet tàm præsentes, quàm futuri elapso termino suæ, vel suarum administrationum statim librum, seù libros computorum introituum, & expensarum nobis, vel nostro Vicario Generali præsentent, recepturi significatoriam, vel liberatoriam, & librum ipsum successori statim consignet cùm omnibus quantitatibus nummorum, olei, frumenti &c. si quæ superfuerint: Vtuè decretum hoc debitæ exequtioni demandetur tàm RR. Canonicis, quàm totius Diœcesis Curatis respectiuè mandamus, quatenùs tàm præsentibus, quàm futuris Administratoribus bonorum Ecclesiasticorum hoc decretum notificent: Et quatenùs ipsos inobseruantes compererint ad nos deferre non prætermittant, vt contra eosdem ad declarationem dictæ excommunicationis deueniatur etiàm per cædulonum relaxationem; super quibus eorumdem Canonicorum, & Curatorum conscientiam oneramus.

1693. Administratores bonorum Ecclesiasticorum quocunque vocabulo nominentur meminerint se tantùm procuratores esse, & Procuratores, teneri vtilia agere inutilia prætermittere: Proindè anteactis constitutionibus vt supra firmatis præsentem Synodalem adiungimus ne ipsi siuè eorum aliquis imposterum nouas expensas de bonis Ecclesiasticis faciant, sed satisfactis oneribus necessarijs nihil ex voluntate, & arbitrio expendant, sed tantùm adim-

pleant

pleant, quæ in Sancta Visitatione ordinata extiterint; Si verò inter vnam, & alteram Visitationem contingat aliquod summæ considerabilis debere expendi, tunc non ex eorum libito, sed cum nostra licentia in scriptis faciendum esse decernimus sub pœna soluendi de proprio.

1696. Non sine maximo animi nostri dolore pluries compertum est Ecclesiam nostram Cathedralem, cæteraſque huius nostræ Diœcesis Ecclesias à filijs iniquitatis bonis, & supellectilibus expoliari maximo, cum detrimento nedùm dictarum Ecclesiarum, verùm etiam animarum eorumdem dictum facinus perpetrantium: cui malo pro viribus occurrere volentes omnibus cuiuscumque gradus sint, vel conditionis tàm Ecclesiasticis, quàm laicis, omnibusq; vtriusque sexus sub pœna excommunicationis ipso facto absque alia declaratione incurrenpræcipimus, & mandamus ne quis eorum audeat à dicta nostra Cathedrali eiusque Altaribus, & Sacristia, alijsque huius nostræ Diœcesis Ecclesijs, Altaribus, & Sacristijs respectiuè bona cuiuscumque sint conditionis, & valoris auferre, aut alio asportare sub quouis prætextu, vel quæsito colore, aliàs ipso facto, & absque alia declaratione dictam maiorem excommunicationem incurrant, cuius absolutionem nobis tantummodo reseruamus.

1698. Non sinè maximo animi nostri dolore ad nostras peruenit aures quamplures animarũ suarum salutis immemores, & in sprerum etiam censurarum ligna, & arbores cædere, prata, aliaque id generis damnificare, vineas, & arbusta vindemiare, sepes destruere, fruges, & fructus furari, Aquæductus implere, & deuastare, aliaque in graue damnum, & prę-

indi-

iudicium tàm proximorum, & particularium perſonarum, quàm etiàm Eccleſiarum, aliorumque locorum Eccleſiaſticorum perpetrare : Quibus malis pro viribus occurrere cupientes præſenti inuiolabili cõſtitutione præcipimus,& mandamus Canonico hębdomadario pro tempore,cæteriſque Curatis,& quomodocumque curam animarum habentibus, quatenùs ſingulis ſaltem Menſibus inter Miſſarum ſolemnia ipſi vel eorum ſubſtituti (ipſis impeditis) ac etiam Sacerdotes celebrantes primam Miſſam in aurora adſtantes moneant Vernacula lingua conſimiles damnificatores, & fures in prædictis perpetrandis peccatum Mortale incurrere, & ad reſectionem damnorum teneri (arbitrio prudentis) quoad bona proximorum, & particularium perſonarum; Quo vero ad bona Eccleſiarum vltrà peccatum mortale, & obligationem reſtituẽdi, ac damna reficiendi eos incurrere excommunicationem in Bulla Cœnæ. Publicationem verò præſentis conſtitutionis, vt ſuprà omnibus ſupradictis imponimus ſub pæna librarum 6. Ceræ albæ per quemlibet,& pro qualibet tranſgreſſione.

De Diœceſana Synodo.

ANno 1682. Noſter Vicarius Generalis Promotor Fiſcalis, noſtræ Curiæ Cancellarius, cæterique eiuſdem Officiales conſtitutiones noſtras vbique noſtræ Diœceſis omninò ſeruari faciant, tranſgreſſores ſtatis pœnis inremiſſibiliter mulctando, & mulctas depoſitario pœnarum conſignari faciendo: Cancellarius verò noſtræ Curiæ, acta quæcumque iuxtà Taxam Innocentianam in libro diſtinctæ, & totiès quotiès regiſtrari non prætermit-

tat

tat sub pœnis nostro arbitrio?

1696. Nostro Vicario Generali, cæterisque nostræ Curiæ Ministris, Canonicis nôstræ Cathedralis, ac cunctis Parochis, & curam animarum habentibus persæpè commendata fuit vigilantia super observantia constitutionum nostrarum Synodalium: ipsisque denuò commendamus, & de earumdem inobservantia eorum conscientias oneramus.

1698. Nostet Vicarius Generalis, omnesque Curiæ Episcopalis Ministri pro tempore existentes, Canonici nostræ Cathedralis, Parochi cæterique, quibus quomodolibet cura animarum iniuncta est inuigilent omninò super observantia omnium constitutionum nostrarum Synodalium ab anno 1680. huc vsque emanatarum, quas omnes confirmamus, eisque quatenùs opus sit nouum robur adijcimus, ac si denuò emanatæ essent, ad quem finem vt erant sparsæ, insimul per capita reduximus, & prælo dari mandauimus: Habeant proindè sub oculis nostras leges, & constitutiones, ad finem eas observandi, observarique faciendi: Sin secùs præter rationem Deo reddituram transgressores, & negligentes pœnis statutis, alijsque nostro arbitrio puniemus: Caueant igitur à transgressionibus non tantùm formidine pœnæ, sed virtutis amore. Quam enim mercedem hic aut in cœlo non erunt recepturi pro sua quilibet obseruantia, & pro diligentia ad obseruari faciendum adhibita?

LAVS DEO.

VINCENTIVS MARIA EPISCOP. CALVEN.

† Locus Sigilli.

D. Ioseph Pinto Notarius Apostolicus.

† Locus Signi.

VA 1
1528 146
162
3
37